



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI;
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

✓

ORATIO

DE STUDIIS
PHYSICIS, EO

RVMQVE VSV IN DO-
ctrina Ecclesiae.

Recitata à

DECANO COLLEGII
PHILOSOPHICI M. SIMONE
GRONENBERGIO, Freienvaldensi
Pomerano, cum prid. Iduum Septemb.
anno 1587, septem & triginta honesti
& docti viri, Magistri Philosophiae & ar-
tium liberalium, in Academia VVi-
tebergensi, solenni & publi-
co ritu renunciarentur.



VVITEBERGAE.

M. D. LXXXVIII,

EPIGRAMMA

IOHANNIS MAIORIS D.

Precipit humano generi vox seria Patris,
Ut nati voces hauriat aure sui.

Has doctrina refert, quæ pacto utroq; relecta est,
Seu quod Lex, aut quod Gratia dulcis habet.

SED nobis optus est oculis sacra voluere scripta,
Et res Isacio querere fonte sitas.

Namq; artis reliquæ sunt insita semina menti,
Fama **D E I** ex scripta voce petenda **D E I** est.

Disciplina tenax de Christo autore salutis
A solo nobis est patefacta **D E O**.

Atq; usus lecti & reuoluti in pectore verbi
Gaudia fert menti, mœstitiæq; fugam.

Et quia vult Nati præberi vocibus aurem:

Tunc vult has tradi semper in Orbe **DEVS**.

Hinc studijs opus est, ut recte has tradere possis.

Et sic per gentes vox tua Christus sonet.

ERGO piè sacro de cœtu turba meretur,

Quæ seram ad sobolem pignora tanta refert.

Tu quoq; pars huius cum sis doctissime **S I M O N**


Debetur meritis gratia iusta tuis.

Gratia iustitia de commutante resultat;

Quem meriti tangit gratia, iustus eris.

ILLVSTRISSIMIS

PRINCIPIBUS AC DOMI-
nis, Dn. IOHANNI FRIDERICO,
Dn. BVGISLAO, Dn. ERNESTO LV-
DOVICO, Dn. BARNIMO, & Dn.
CASIMIRO, Fratibus, ac Ducibus
Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum & He-
netorum, Principibus Rugiæ, Co-
mitibus in Gutzkou, &c. Do-
minis suis clementis-
simis.

 VEMADMODVM, Illu-
strissimi Principes ac
Domini, duo sunt di-
stineta Reipublicæ tem-
pora; vnum togæ, alterum belli:
ita duplex est genus virtutum, quæ
Principis cuiusque officium præ-
cipuè ornant. Vtriusque generis
virtutes cum in Agamemnone,
alijsque Græciæ Principibus, tum
in Vlylle antiquissimus atque in-
geniosissimus Poëta Homerus
prædi-

D E D I C A T O R I A.

prædicat, libro Iliad. altero: vbi
 Therfiten introducit, qui cùm
 reliquis silentibus, vnus in castris
 supra modum in linguæ intem-
 perantiã efferretur, infulsoq; cla-
 more quæuis, eaque vel optima,
 reprehenderet: initiò ab Vlyffe
 verbis duriter obiurgatus, tandem
 verberibus ab eodem mulctatus,
 ac nolens volens repressus fuit.
 Quo viso, reliqui, quotquot a-
 stiterunt, milites, non solùm effu-
 sè lætari incipiunt, quòd homi-
 nem importunissimum καὶ λωπ
 βητῆρα ἐπεσβόλον cohercuisset; ve-
 rùm insuper etiam huiusmodi o-
 ratione Principum virtutes cele-
 brare introducuntur:

ὦ πόποι, ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργε,
 βελας τ' ἐξάρχων ἀγαθὰς, πόλεμόν τε καὶ
 ρύσων.

Quis

DEDICATORIA.

Quis hîc non miretur summam Poëtæ sapientiam, qui Principis officium, vtrique Reipub. tempori accommodatum, vno versiculo comprehendit? Etenim quòd Vlysses optimi consilij autorem esse memorat, id equidem ad pacis tempus pertinere arbitror: ipsæque verbis Poëtam mone- re, boni Principis atque Imperatoris esse, non solum, vt sapientia eximia excellat, quò quid expediat, quid vé ex vsu Reipub. sit, rectissimè consulere in mediũ possit: verùm etiã, vt leges, quibus communitas hominũ veluti vinculo quodam continetur, ac religionem veram tueatur.

Atque sanè ad primum quod attinet, quod diximus, Imperatori sapientia opus esse, etsi id apud

A 3 omnes

DEDICATORIA.

omnes in confesso est, ut qui secus
 sentiat, is cum ratione insanire vi-
 deatur: tamen vel inde etiam pa-
 lam est, quòd potentissimi quiq;
 Imperatores, filios, si quos habue-
 runt, doctissimorum hominū dis-
 ciplinæ tradiderunt, à quibus ab
 ineunte ætate erudirentur, & sapi-
 entiam, iustitiam, atq; id genus ali-
 as virtutes, gubernatori necessari-
 as, discerent. De Philippo Macedo-
 num Rege memoriæ proditū est,
 eum, Alexandro filio Aristotelem
 præceptorem adiunxisse, & literas
 aliquando ad Aristotelem misisse,
 quibus testatus est, se non tam læ-
 tari, quòd filius sibi natus esset,
 quàm quòd ipso illo tempore na-
 tus esset, quo ipsius disciplina frui
 posset. Ἐλπίζω γὰρ, inquit, αὐτὸν ὑπὸ σὺ
 πρᾶφέντα ἢ παμδευθέντα, ἀξιὸν ἔσεσθαι καὶ ἡ-
 μῶν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.



DEDICATORIA.

In schola quoque Chironis
 Cētauri, qui propemodum annis
 viginti & duobus ante Troiana
 tempora floruit, ad radices Pelij
 montis in spelūca habitans, Iason,
 Achilles, alijque plures ex nobilif-
 simis Græciæ principibus educati
 fuere. Ac Iason quidem, qui & po-
 stea dux expeditionis Argonauti-
 cæ extitit, (vt refert Pindarus Ode
 4. Pythiorum) honorificè de se-
 metipso gloriatur, se totos viginti
 annos Chironi Præceptori operā
 in Thessalia dedisse, atq; indidē ab
 illius filiabus castis, ita enutritū fui-
 isse, ὥς τε οὐτ' ἔργον, οὐτ' ἔπος 'εντραπέλου
 κείνοισιν εἶπεῖν, h. e. vt neq; factū, neque
 verbū insolens, cuius se pudere po-
 tuisset, illis vnquā dixerit. Denique
 Xenophō in ijs libris, quos de edu-
 catione Cyri eruditissimè scripsit,

A 4 non

DEDICATORIA.

non tam ad fidem historicã,quàm ad iusti Imperij effigiem , refert, Persarũ pueros dicere solitos fuisse, se in scholã venire, vt iustitiam, temperãtiam, ac proinde etiam sapientiam discãt. Quæ profectò omnia eam ob causam facta sunt, quòd exstimãrunt, gubernatori multa opus fore sapiẽtia, eamque non nisi ab hominibus eruditis perdiscendam esse.

Alterum, quod ad Principis boni officiũ pertinet, est, vt leges stabiliat, ac iustitiam administret, tutando bonos, reprobosque comprimẽdo. Quemadmodum enim membrum corporis, quod viciosum esse cepit, Medici vrere vel resecare solent, ne pars sincera trahatur, vt ait Ouid: ita magistratus, vt Respub. salua esse queat, perditissimos

DEDICATORIA.

simos homines penitus extirpat: ne corruptus integro, violatus casto, labem infringat. Vtrunque in magistratu quolibet requirere Apostolus visus est, cum affirmat, magistratum, *διάκονον θεῶν*, cuius ad bonum esse, *καὶ ἐκδικὸν εἰς ὀργὴν τῶν τὸ κακὸν πράσσοντι*. Sicut autē Deus his, qui ad gubernacula rerum sedentes, potestate sua interdum abutuntur, vel ad opprimendos innocentes, vel ad prauos subleuandos, poenas grauisimas minatur: sic contra magistratui pio nō solūm præmia amplissima pollicetur, quibus tūm in hac, tūm in altera vita ornabuntur: verūm honore longē maximo præ alijs dignatur, vt ob officium, quod Dei ipsiusmet loco gerunt, Deos appellet.

His postremum hoc addatur,

A 5

nem-

DEDICATORIA.

nempe Religionis veræ & synceræ
cura, quæ non minùs quàm duo
superiora, ad Principis officiũ per-
tinet. Nullum enim dubium est,
quin Deus, *ἐκδικῶν ὅμματα ἔχων*, pleris-
que regionibus parcat propter Ec-
clesiam suã, quã per verbũ, & Sa-
cramenta verbo addita, sibi quo-
tidie in genere humano colligit:
cũ tamen, si rigore iustitiæ suæ
vti erga nos vellet, vniuersum mũ-
di opificium, & quæ in eo visun-
tur animalia, delere iustissimo iu-
dicio posset ob peccata, quibus i-
ram Dei indies cumulamus.

Etenim Religione florente, pax
ipsa floret: illa laborante, hæc quo-
que ipsa laborare incipit, vt monet
sententiã vetus doctis notissima:
ὅταν τὰ τῆς θεῆ νοσῆ, καὶ τὰ τῆς εἰρήνης νοσῆ.
Pleni exemplorum Codices sacri
sunt

DEDICATORIA.

sunt, plenæ temporū omnium hi-
 storia, plena denique partim auo-
 rum, partim nostra quoque ætas
 est, vt hominem, quin obseruârit,
 arbitror esse neminem. In politica
 Iudaica, quã diu præcepta à Deo
 tradita populus seruauit, tam diu
 non pace tantum vsus legitur: ve-
 rum etiam de hostibus deuictis
 perpetuò triumphauit. Postea-
 quam verò senescente politica, ho-
 minū malitia atque impietas cre-
 sceret, & gens Iudaica, quòd per-
 tæsum esset Religionis auitæ, quã
 à Mose ἀρχνυῶ accepèrat, ad ido-
 latriam se conuerteret: ilicò fa-
 mes, pestes, assidua bella, alia-
 que horum similia mala secuta
 sunt, quibus Deus iustissimam i-
 ram suam erga Idololatrias, & veræ
 Religionis contemptum palàm
 declarauit. Cùm

DEDICATORIA.

Cùm autem artes ceu fasciæ
quædam sint, quibus veritas do-
ctrinæ cœlestis inuoluitur, & in-
uoluta, syncera atque integra con-
seruatur: vt dicere solitum fuisse
accepimus magnum illum virum,
ἡ πολυθύλητον σέβασμα Germaniæ
vniuersæ, Dn. PHILIPPVM ME-
LANTHONEM: idcirco eniti pa-
riter principes decet, vt vnâ cum
doctrina Ecclesiæ artium liberaliũ
studia in scholis propagentur: quò
subinde homines docti reperian-
tur, quibus Ecclesiæ cura rectè cõ-
mitti possit.

Quæ hætenus commemorata
sunt, ea Cels. V V. Principes Illu-
strissimi, rectissimè conuenire
haud immeritò dixero. Etenim
C. VV. à prima statim ætate ho-
minibus eruditis mirificè delecta-
tæ

DEDICATORIA.

tæ fuerunt, & adhuc delectantur, à quibus illam, quæ à Principe requiritur, sapientiam eximiam cum pietate vera coniunctam, abundè perceperunt. Deinde Cels. VV. in id omnibus viribus incumbunt, vt subditi honestis legibus, quæ ἔργα sunt siue munimentum ciuitatis quoddam, regantur; boni & innocentes defendantur, improbi & scelerati, ne reliqui lædantur, pœnis meritis afficiantur. Qua quidem in re, Cels. VV. Cyrum Persarum regem laudatissimum imitari mihi videntur, quem νόμον βλέποντα, h. e. legem oculis præditam Xenophon in initio lib. 8. παιδείας nominat, ibidemque commemorat, Cyro identidem solenne fuisse, vt bonos præmijs, improbos verò pœnis dignis afficeret.

His

DEDICATORIA.

His adiūgo curam propagan-
dæ religionis sanæ & veræ plus
quàm paternam, quam si in vllō
alio Principe, certè vel in VV. Cels.
meritò prædicamus. Nam clarissi-
mam Euangelij lucē, quæ è tene-
bris Pontificiorū plus quàm cim-
merijs eruta, superioribus seculis
VVitebergæ primū, Deo succes-
sum largiente, coniunctâ operâ
D. Lutheri & dn. PHILIPPI ME-
LANCHTHONIS effulsit, indeque
in totâ Germaniam longè lateque
dispersa fuit, Cels. VV. non modò
clementissimè fouent, verū et-
iam, ne eadem ex auerno repetitis,
pridemq; à lanioribus Theologis
profligatis reiectisq; opinionibus,
loquendiq; formis iterum obscu-
retur, aut etiā extingatur, labore
omni contendunt.

Quo

DEDICATORIA.

Quo sanè studio Cels. VV. testatum apud omnes faciunt, se verè nutritores esse Ecclesiæ Dei, quæ *σύλῳ* est καὶ ἐδραίωμα τῆ ἀληθείας, vt Apostolus i. Timoth. 3. loquitur. Quin etiam scholas, à maioribus præclarè fundatas, Cels. VV. magno sumtu liberalissimè conseruant, inque ijs Iuuentus studiosa in artibus, primisque linguarum, latinæ, græcæ & hebrææ rudimentis vtiliter eruditur, quæ deinceps Ecclesiæ, Reique publicæ opera sua cum fructu prodesse possit.

Et hæc causa est, Illustris: Principes, quare Cels. VV. has pagellas offerre volui, vt & ipse aliquam grati animi significationem erga
Cels.

DEDICATORIA.

Cels. VV. declararem, qui ante annos aliquot, cum in illustri Pædagogio Stetinensi viueré, vnà cum alijs munificentia Cels. VV. vsus fui. Submissè autem peto, vt patrocinium & tutelam tenuis & ieiuni opusculi sereno vultu clementissimè suscipiatis. Oro filium Dei, Seruatorem & liberatoré generis humani, ὃς ἐστὶν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτήρ τῆς τῆ πατρὸς ὑποστάσεως, vt Cels. VV. potenter conseruet, Spiritu suo protegat, magis ac magis deniq; ad conciliandam Ecclesiarum pacem inflammet, eisq; omnibus modis benedicat. V Vitebergæ 25. Martij, Anno Christi 1588.

VV. Cels.

Addictiss.

M. Simon Gronenbergius.

ORATIO,

IN QVA DEMONSTRATUR,
QVOD STUDIA DE
rebus naturalibus inferui-
ant explicationi doctri-
næ cœlestis.

Etsi vereor, Magnifice Dn.
Rector, Illustrissimi Princi-
pes ac Domini, Generosi & Illu-
stres Comites & Barones, Domini
clementissimi & clementes: pieta-
te, sapientia, erudita doctrina &
virtute præstantissimi viri, Pro-
fessores, Præceptores & Collegæ,
summa observantia colendi, ceteri-
q; eruditione & genere nobiles
viri & iuvenes, & tota hæc corona
augustissima: etsi, inquam, vereor,
ne turpe sit, me in honestissimo do-
ctis.

B

ctis.

DE UTILITATE

Etissimorum hominum confessu dicere incipientem timere, neq; afferre ad dicendum eam animi magnitudinem, quam hic locus requirit: hac tamen augustissima corona, qua me in presentia & hoc in loco stipatum, cinctumq; esse video, meos ita perstringit oculos, ut timorem in corde meo magis magisque augeri sentiam. Non enim ea dicendi facultate, quam longa exercitatione comparari Cicero affirmat, me præditum esse agnosco & fateor, quia instructi ante me alij, ad verba ex hoc ipso loco facienda accesserunt: neq; ea doctrinae copia sum instructus, ut dignum aliquid auribus vestris, longè

PHYSICES, &c.

longè eruditissimis, afferre in me-
dium queam. Huc accedit loci ipsi-
us splendor eximius, qui me non
parùm perturbat. Nam hæret
& subinde versatur ante oculos i-
mago temporum superiorum, cum
in antiquo Academia flore & se-
culo aureo, vocibus hominum eru-
ditissimorum suavissimis aures ve-
stræ circumsonarent, quorum ne
umbram quidem seculum nostrum
effæctum & senescens refert. Quin
& muneris difficultate, quod mihi
nunc imponitur, dicendi, inquam,
provincia terreor. Arduum enim
est, & perquam difficile, tum in
loco publico dicere, tum in fre-
quenti ἀνδρῶν ὀπλοτέρων cœtu, ὧν φρίνη

DE UTILITATE

Ἐπι κερειθουται, ut verbis Homeri, Poëte antiquissimi iuxta ac sapientissimi utar: ubi non solum singulari prudentia opus est, videre, quæ presenti negotio aptissime conveniant, ne eadem semper, quod aiunt, cupressus simuletur: verum magnopere etiam cauendum, ne quid dicatur, quod animos studiosæ iuventutis teneros vel prava aliqua opinione imbueret, vel offendere possit. Id quod summo studio cauendum esse Saluator noster monuit, Matth. 18. Videte, ne quempiam è parvulis istis offendatis. Et Apostolus de seipso testatum auditoribus suis facit, se summo cauere studio, ne cuiquam vel Græco vel Iudeo

PHYSICES, &c.

deo scandalum præbeat. Idemq; a-
libi affirmat, se quiduis agere mal-
le, quam cuiquam offendiculo esse.
Præterea mihi non ignotum est,
quod de Pericle, oratore disertio &
longè prudentissimo, Plutarchus
& alij historiographi scriptum re-
liquerunt. Ille enim, quoties sugge-
stum, ad verba publicè faciendâ,
conscendere vellet, Deos immorta-
les precari solitus est, ne quod ver-
bum sibi imprudenti excideret,
quod vel causse inutile, vel noxium
ciuibus foret. Existimavit quippe,
nullius hominis ingenium, nulliusq;
eruditionem esse tantam, quæ eam,
quam decet, in dicendo curam ad-
hibere possit, nisi diuinitus iuuetur.

B 3

Quo.

DE UTILITATE

Quocirca ego quoque initium orationis meae à voto capiam:

Omnia nam, dicta, sunt leuiora, prece.

Te ergo inuoco æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, μεσίτης καὶ ἰκέτης ἡμῶν, ὃς αἰεὶ προσκύνει, ὡς ἄνθρωπος ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, vt mentem meam accendas Spiritu sancto, & flectas linguam meam, quod illa duntaxat mediter ac dicam, quæ pertinent ad sanctissimi nominis tui gloriam amplificandam, quæ faciunt ad Ecclesiæ, & eiq; publicæ incrementum, quæ denique amplissimo cœtui huic utilia sunt, & maximè profutura, Amen.

Hac precatatione præmissa, posteaquam de me ipso dixi, nunc ad hanc auditorum coronam inclutam & angustissimam me conuerto. Et cum neminem esse existimem, qui me vel arrogantia, qua nihil à me alienius, vel ausu temerario & futilitate quadam, à qua
sem-

PHYSICES, &c.

semper abhorruui, ac non potius
grauissimi muneris ratione, quod
in presentia sustineo, & Candida-
torum nostrorum honore addu-
ctum, hanc illustrem cathedram
conscendisse suspicetur: hanc ipsam
ob causam omnes tanto equiores et
benigniores erga me fore confido,
cum intelligant, me non tam prua-
to consilio, quam grauissima Prae-
ceptorum voluntati, cui refragari
nefas duxi, & antiquissime Aca-
demiae consuetudini obsequi stude-
re.

Ceterum cogitanti mihi, &
diu multumq; deliberanti de argu-
mento dicendi commodo, etsi sub-
inde aliud atque aliud occurrebat,

B 4 ut

DE UTILITATE

ut solent plura sese cogitantibus offerre: nullum tamen visum est commodius, quam si eiusmodi deligerem, quod ab hoc loco & solenni congressu non planè alienum foret. Tale autem fortassis esset, si de Philosophia, huiusq; origine, progressu & usu differere instituerem. Quod tamen cum ab alijs iterum atque iterum factitatum esse hactenus meminerim: satis mihi fuerit hoc tempore, si tertiam eius partem, quæ quorundam vulgò nuncupatur, explicationi sacrarum literarum maximopere inservire, ostendero. Argumentum hoc ut per se quidem satis amplum est, et discen- tibus perutile: ita vobis non ingratum fore confido.

Mi-

PHYSICES, &c.

Miramur pleriq³ omnes, cum redimus in memoriam superiorum temporum, quæ Patrum nostrorum ætatem proximè antecesserunt, unde tanta tunc barbaries, tant'aq³ in religione tenebræ extiterint, quas tristia certamina, & contentiones de præcipuis fidei articulis, tandemque tetri errores secuti sunt. Nonnulli enim varijs disputationum labyrinthis tum se, tum alios inuoluerunt, ex quibus nec seipsos expedire, nec alios utiliter erudire potuerunt: alij in interpretatione textuum Scripturæ verba noua & peculiare loquendi formulas finxerunt, quæ inauditæ & ignotæ hominibus essent. Itaq³ verbis muta-

B 5

tis,

DE UTILITATE

tis, res ipsas pariter mutari necesse fuit. At cur verba & locutiones novas commenti sint, causa alia non fuit, quàm quòd linguas, aliasque disciplinas liberales ignorarunt, quibus tum in lectione, tum in interpretatione literarum sacrarum opus est.

Pontificij primam promissionem vel malitiosa versione, vel ignorantia depravatam, ad Mariam virginem detorserunt. Sic enim Codices ipsorum habent: *Ipsa* caput tuum conteret. Sed fontes Hebræos inspicienti refutatio est facilis. Relativum enim in Hebræo non est נִיָּה, quod fœmininum est, ipsa: sed נִיָּה masculinum, *ipse*,

PHYSICES, &c.

ipse, quod ad antecedens $\nu\gamma$, qua
vox semen significat. Et apud He-
braeos masculina est, refertur. Ve-
ra igitur translatio erit, Ipsum
conteret, ut ad vocem latinam, se-
men: vel, ipse conteret, ut ad He-
braeam $\nu\gamma$, referatur: qua expli-
catio etsi tenuis videtur propter
Grammaticam, idolatriæ tamen
pontificiæ, qua Mariae virgini ho-
nores divinos tribuunt, magnam
partem labefactabit.

Simile est Et illud Gene. 14.
quod ad idolum suum Maozim ex
historia Abrahæ allegant, quo à ce-
de Regum Orientalium reverso,
Melchisedechum, regem Solymo-
rum, panem Et vinum obtulisse,

-091

ide-

DE UTILITATE

ideoque, sacrificium Missæ, in quo corpus Domini offertur, hoc exemplo confirmari, contendunt: cum in Hebræo nulla sit ex ijs vocibus, quæ in Levit. vel sacrificium, vel oblationem significant, sed ea, quæ in genere & simplicissime significat, producere & proferre. In Moyses enim non ritum sacrificij institueret, sed historiam exponere voluit, quod Melchisedech, qui in communium vicinis Sodomitis periculo fuerat, victualia militibus ex prælio & itinere, gratitudinis erga Deum et Abrahamum causa, protulerit.

Referunt de Sacerdote quoque am, cum interpretaretur dictum

Apo-

DE UTILITATE

religionis nostrae praecipuos, qui sine doctrina Physica explicari posse existimat, iudicio ipse suo turpissime fallitur. Articulus de Deo ἔστι τριβὺς ἑνὸς ἐσσητῆ ὑποστάσεωσ προαίμα discrimen inter Ecclesiam et ceteros omnes generis humani cœtus constituit, cui doctrina Physica plurimum lucis addit.

Pater ἀγέννητοσ ἐστὶν : filius ἁγεννητοσ ; ab utroq; Spiritus Sanctus ἐκ ποσειῶσ, ut cum Theologis graecis Irenæo, Epiphanio, Theodoreto, Damasceno, ἔσ alijs loquar. Fatemur enim, Filium, λόγον esse ὁμοιωδῆ, ἔσ cogitatione à Patre nasci, qui ἀρχὴ ἐστὶ καὶ πηγὴ τῆσ θεότητῆσ, καὶ τῶσ θεῶσ ἔσ γωσ, h. e. initium ἔσ fons diuinitatis atque
ope-

PHYSICES, &c.

operum diuinorum. Quis verò ad-
eò imprudens & stupidus erit, ut
non intelligat, necessariam hinc fore
interpreti cognitionem Physices de
Anima, eiusq; potentijs, ac mirifi-
cis actionibus, quarum alias in a-
lijs corporis partibus exercet? O-
peræ pretium fuerit, nosse, quando,
quove modo cogitatio fiat: tum ni-
mirum, quando imagines vel per
sensus exteriores ad sensum cõmu-
nem delatas, vel idiocrasia interi-
ore formatas, τὸ δ' ἰαυοντικὸν apprehen-
dit, easq; dijudicat, componit &
diuidit. Id enim munus τὸ δ' ἰαυοντικὸν
proprium esse, teste Galeno, puta-
tur. Ut ergo homo, cum vel in-
tuetur obiecta, à quibus sensus mo-
uentur,

DE UTILITATE

uentur, vel intra sese cogitando occupatus est, format imagines rerum, quas cogitat: ita aeternus Pater semetipsum intuens, ab aeterno Filium, imaginem suam, gignit. ἐκ γὰρ τῆς πατρὸς οὐσίας ἀνάγκῃ καὶ ἀχρόνῳ ὁ υἱὸς γενέσθαι, sicut Damascenus eleganter differit lib. 1. cap. 9. de Orthodoxa fide.

Deinde de lege cum quaeritur, quid est unde sit, opera pretium erit, eruditissimam doctrinam de notitijs tenere, quae à PHILIPPO MELANCHTHONE, nusquam satis laudat & memoria, communi omnium nostrum praeceptore, in libello de Anima, copiosè & eruditè explicatur. Quid enim Lex, quae
Mora-

PHYSICES, &c.

Moralis in scholis vocatur, aliud est, quàm notitia, hominum natura in prima creatione insita, ut πρῶτον Deum conditorem monstret, & honesta ab inhonestis & turpibus discernat? Philosophi eandem NATURÆ legem appellant, quòd animis hominum naturà inhereat: et definiunt, quòd sit summa ratio, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, & contraria prohibet. Empedocles, allegante Aristotele, in Rhetoricis ad Theodectem lib. 1. cap. 14. τὸ πρῶτον, hoc est, primum ius nuncupavit: quandoquidem id omnium primo cuius notum est, antequam aliud quicquam discere incipiat.

C

Versi-

DE UTILITATE :

Versiculi Empedoclis graeci ab
Aristotele allegantur :

ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τ' εὐρυμέδοντος
αἰθέρος ἠνεκέως τέλειται, διὰ τ' ἀπλέτεσ' αὐγῆς.

Rectè autem pronunciat Em-
pedocles, primum ius per immen-
sum aethera, terramq; latè paten-
tem extendi: Legis quippe illius no-
titia ad omnes homines sine discrimi-
mine pertinet. Et sicut omnium
mentibus à natura ingeneratur:
ita omnes pariter obligat. Unde A-
ristoteles φυσικῶν δικαίων lib. 5. Ethico-
rum νομομαχικῶν definit, τὸ ἔχον πατα-
χῆ πλὴν αὐτῆς δέωαμιν hoc est, jus natu-
rae est, quod eandem ubivis loco-
rum vim obtinet. Sed quia maxi-
ma pars generis humani, eam par-
tim

PHYSICES, &c.

timpropter caliginem, menti congenitam amisit, partim affectuum, ceterarumq; appetitionū incendiis obrui passa est, & multa huic luci naturali contraria recepit: DEVS nouo verbo hanc suam legem patefacere voluit, ut testaretur, has notitias naturaliter in mente hominis lucentes, cum voluntate sua congruere, & hanc actionum hominis normam esse debere.

Etsi autem Aristoteles negat, ullas notitias cum homine nasci, ideoq; mentem hominis tabula rudi comparat, in qua cum nihil scriptum sit, omnia tamen scribi possint: & alibi ^{vōp}, qui ipse est habitus animi, Ethic. 6. cap. 3. οὐσαυτὴ ἐπιστήμη,

DE UTILITATE

id est, non cum homine nasci, sed forinsecus accedere, & discendo acquiri sentit: nobis tamen potior sit D. Pauli autoritas, qui ad Rom. 2. opus legis cordibus hominum inscriptum esse, & gentes, quæ legem scriptam non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, facere: & I Cor. II. ab ipsa natura, decorum utriusque sexus, in coma alenda vel præcidenda monstrari affirmat.

Quid autem dicam de alijs Theologiæ locis? verbi gratia: Cùm differitur de imagine Dei in homine, de malo originis, & quæ his coherent: in quibus non minùs, quàm in superioribus, cognitione Philosophiæ naturalis opus erit?

Ac

PHYSICES, &c.

Ac olim quidem varia tum
questiones, tum disputationes motæ
fuerunt, à scholasticis & alijs, de
imagine Dei in homine, & malo
Originis, quomodo definienda es-
sent, & quam sedem in homine
obtinerent: sicut videre est proli-
xius apud Thomam Aquinatem,
Scholasticorum facile principem,
qui eas singulari studio collegit, &
eruditè, ubi opus fuit, explicavit.

Etsi autem necdum hodie satis
inter Ecclesiæ Doctores convenit de
imagine Dei, eiusq; definitione,
cum alijs aliter definire placeat:
tamen omnium rectissime, ut opi-
nor, definitio extrui potest ex duo-

DE UTILITATE

bus Apostoli testimonijs, longè pulcherrimis, quorum alterum in Epistola ad Ephe. cap. 4. alterum in Epist. ad Coloss. cap. 3. extat. Quibus in locis indicat Apostolus, imaginem Dei consistere ἐπιεικεία, hoc est, agnitione Creatoris, & similitudine iustitiæ, & veræ sanctitatis, atq; id genus aliarum virtutum, quarum semina in creatione hominum natura impressit.

Hinc homini erudito, & in Philosophia naturali versato, non utique onerosum erit, de sede eius conijcere, ac, si modò appellationes, quibus Apostolus utitur, considerentur, difficultas, si qua latet, omnis tolletur, etiamsi pleræq; Scholasti-

PHYSICES, &c.

lasticorum disputationes negligan-
tur. Etenim notum est, cum de
actionibus τῶν ἄλλων, hoc est, mentis
queritur, quae una est e partibus
sive facultatibus animae rationalis,
τῶν ὑποκειμένων καὶ ἐπιγινώσκων quoque ca-
teris annumerari. Quare pro-
prium subiectum imaginis Dei
anima rationalis esse rectè dicitur.
Quod verò mali originalis subie-
ctum est, inquires? Cuius iam, quod
respondeat, in promptu erit. Nam
sicut in locum deperditæ imaginis
successit, post lapsum, malum ori-
ginis: ita idem quoque subiectum
habere existimandum est. τῶν γὰρ
ἐναντίων ἢ αὐτῆ ἐπιστήμη, sicut Dialectici
monent: & priuatiua vocabula

DE UTILITATE

referuntur ad domicilia earum rerum, quibus opponuntur.

Inter omnia verò, quæ ex doctrina Physica aliquid lucis verbo Dei addere videntur, collatio arboris substantiarum, quæ seriem omnium rerum creatarum sapientissimè dispositam continet, cum primo Geneseos capite iucundissima est, unde conspicitur, Deum in creatione huius pulcherrimi opificij Mundi, & in partium eius singularum distributione eandem observasse seriem, quam mens humana luce naturali agnoscit. Itaq; arbor illa, quæ est compendiaria totius Physices *αἰωότης*, articulo creationis illustrando plurimum prodest.

Ha-

PHYSICES, &c.

Haëtenus in præcipuis sacro-
sanctæ Theologiæ locis ostendi, na-
turalem Philosophiam eidem in-
servire, & tam lectori, quàm inter-
preti necessario adhibendam esse:
deinceps verò aliquantò propius
accedentes, idem factò opus esse in
multis scripturæ testimonijs, pau-
cis demonstrabimus.

Pleni sunt libri veteris Testa-
menti, plena Evangelistarum hi-
storia, Apostolorum denique scripta
plena sunt eiusmodi dictorum, in
quibus mentio fit appellationum,
quarum declarationem è Physico-
rum scholis assumere oportet: ut
meritò addubitare queam, unde
ordiendum sit, idemq; mihi dicen-
dum,

DE UTILITATE

dum, quod græcus versiculus mon-
net:

τί πρότερον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑσάτιον καὶ ἀλίξωσθαι

Veruntamen aliqua saltem,
quæque præcipua esse videbuntur,
adducere libet.

In primo Geneseos libro cap. 9.
narrat Moyses, ⲓⲣⲟⲩ sive arcum,
quem vulgò Iridem appellamus, à
Deo opifice in nubibus repositum
fuisse, ut signum esset, cum posteris
Noæ initi fœderis, quo commone-
fiebant, terram non amplius dele-
tum iri aquis diluuij, quemad-
modum paulò antè factum erat.
Hic auditor attentus è doctore a-
uet cognoscere, utrum arcus ille
ante diluuium fuerit, an verò,
quod

PHYSICES, &c.

quod magis consentaneum est, post
demum esse cœperit, quibus è causis
ortus fuerit, & postremo, an eo,
quo illa prima, modo, adhuc ho-
die Irides generentur. Nam I-
rides sæpe conspici, cœlo præsertim
nebuloso, experientia testatur, qua
certissima rerum omnium magi-
stra existit.

Quare, ut his & id genus ali-
is questionibus satisfiat, erudien-
dus erit auditor ex ea Physices par-
te, qua de Meteororum generatio-
ne differit, quorum natura etsi ali-
quantò imperfectior est, uoç̄ ^{uocatur} ^{τὸ ἄτερον} ^{τῶν ἄλλων},
quàm aliorum corporum: tamen
ὡς ^{ὅτι} ^{ἔστι} ^{ἄρνησι} ^{ἴσχυρος}, negari neutiquam
potest, uti Aristoteles inq̄uit in ini-
tio

DE UTILITATE

tio librorum, quos de meteoris scripsit.

Deinde in Exodi capite 16. cum populus murmurationibus molestis obiurgaret Moſen, ut qui ex Ægypto in deſerta loca eos abduxisset, in quibus fame ſingulis pereundum eſſet, idem Moſes refert: Deum de cœlo demiſiſſe magna copia panem, quem Manna vocabant, ut eo populus ſatiaretur. Quis non intelligit, hoc loco opus eſſe Phyſices cognitione, ſine qua nemo facile hic ſe expediet? Nam eruditi Manna inter roris ſpecies numerant, eò quòd rori non abſimile fuiſſe exiſtimatur.

Ceterum, ut hoc quoque addam,

PHYSICES, &c.

vocem מִן interpres Chaldeus, retinens nomen Ebraum, vertit מִנָּה , à quo latinum factum est, & à radice מָנָה Ebrai derivant, quod significat numerare: unde מִנֵּי portiones siue partes, quæ ad usum certum destinatae sunt: quia ille cibus singulari consilio populo Israëlitico destinatus à Deo fuit, quem admodum in veteri Testamento certæ portiones de carnibus victimarum Sacerdotibus destinabantur.

Sic nemo dextrè vel intelliget, vel explicabit insignem locum, & consolationis plenissimum, qui in Esaia cap. I. extat, nisi aliquam Philosophiæ naturalis notitiam habeat: ubi Deus per Prophetam,
suum

DE UTILITATE

suum erga homines amorem, plus
quam paternum, καὶ φιλανθρωπίαμ po-
pulo denunciatur, suamq; gratiam
singulis, quantumvis horribilibus
flagitijs contaminati sint, offert. Si,
inquit, peccata vestra fuerint
tanquam coccinum, ut nix albe-
scent: si fuerint rubra, sicut ver-
miculus, velut lana alba erunt.
Nam coccinum colorem purpure-
um significat. Hieronymus κόκκινον
interpretatur vermiculum: quia
κόκκινος βαφικὴ ilicem aquifoliam si-
gnificat, solo cocco omnis ruboris
dotes provocantem. Et tradunt
eruditi, illi colorem esse rubeum,
qualis in rosa micat, imperatorijs
tantum paludamentis apud anti-
quos

PHYSICES, &c.

quos dicatum: à Gallis scarlatum:
à Narbonensibus vermilonum:
ab officinis granum tinctorum ap-
pellatur. Neque sanè sine caussa
Propheta appellatione coccini u-
sus fuisse existimetur. Quemad-
modum enim peccata hominum
coccino comparat, seu colori pur-
pureo, qui cruento non absimilis
existit: ita notat victimam cruen-
tam, hoc est, ipsum Filium Dei, qui
multis annis post in carnem nostrã
missus est, & placata Patris sui
ira, mortem longè atrocissimam,
pro salute humani generis ultrò
oppetit, quando crucis patibulo
miserabiliter affixus, medio inter
utrumq; latronem loco pependit, &
aper-

DE UTILITATE

aperto latere eius sanctissimo ^{Θρόνου}
^{Βοι αίματ} & profluxerunt, qui non
solum corpus cruore oppleuerunt:
verum etiam in terram largè de-
stillantes circumquaq; eandem ir-
rigarunt. Quo significata fuit ab-
undantia meriti Filij Dei: quan-
doquidem vel unica gutta sangui-
nis Iesu Christi pretiosior estiman-
da est, quam omnium hominum
peccata, sicut reuerenter & piè re-
ligiosa antiquitas sentit & loqui-
tur.

Discrimina ciborum, quae Iudaeis
Leuit. 11. & Deut. 14. precipiun-
tur, varias opiniones pepererunt.
Quidam prophani superstitiosa
illa, & à Mose sola dominandi li-
bidi-

PHYSICES, &c.

bidine excogitata esse sentiunt. Pontificij, veris huius præcepti causis neglectis, observationem discriminis ciborum non minus in nouo quàm in veteri Testamento necessariam, & gratiæ Dei meritum esse, somniant.

Etsi autem præcipua causæ sunt mysticæ, quòd DEVS hoc discrimine peculium suum à colluuiæ ethnica, quæ promiscuè omnium specierum animalia Deo offerret, & non carnibus tantùm vesceretur, sed etiam sanguinem eorum biberet, distinguere, & animalia munda Christi & membrorum Ecclesiæ, immunda verò & ominosa diaboli & impiorum typos esse voluit:

D hæc

DE UTILITATE

hac ipsa tamen typorum ratio sine cognitione naturæ animalium utriusque generis non agnoscitur, & subsunt aliæ causæ, quas etiam ipsas Physica explicat. Nam quæ ex brutis, siue terrestria sint, siue aquatilia, siue volatilia, Iudæis prohibita fuerunt, nutrimentum impurum, crassum, & concoctu difficile: cetera verò quæ eisdem permissa sunt, sanguinem purum, æreum, & statui corporis incolumi conservando idoneum gignere, experientia testis est. Quæ novi quoque Testamenti homines impulit, ut plerique nunc quoque ab esu eorundem abstineant, tametsi Lege Mosi ceremoniali se non obligari nove-

PHYSICES, &c.

nouerint. Sunt insuper quadam animalia, quorum non solum usum, sed etiam contactum Moses prohibet, non ex supersticioso munditiei studio, sed quia contactus occulta quadam perspiratione aliquid venenati halitus contrectanti communicat, quam etiam ob causam nos quoque non lege Mosis ceremoniali, sed sanitatis cura inducti, eiusmodi animalium contactum vel omnino cauemus, vel infustum noxiūque existimamus.

Sed age, Salomonis exemplum consideremus. Quomodo is queso, veram infantis viui matrem deprehendere potuisset, nisi doctrine Physicæ, que sensus explicat, gnauis

DE UTILITATE

rus fuisset? Quomodo florem à natura productum (siquidem fabulis quoque, quæ de ipso feruntur, credimus) à factitio & per artem elaborato discernere potuisset, nisi apum, ex florum succis mella stipantium, naturam agnouisset.

Salomonem denique non verè tantum de Deo doctrinæ, & eius Philosophiæ partis, quæ Ethica dicta regulas vitæ ac morum, ac præcepta virtutum tradit, peritum fuisse, libri ipsius, qui ad nos pervenerunt, testantur, verum etiam in cognitione doctrinæ Physicæ excelluisse, ex 3 Reg. 4. apparet, ubi Salomonem super lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ

PHYSICES, &c.

quæ egreditur de pariete, disputasse, & de iumentis, volucribus, reptilibus et piscibus disseruisse legimus.

Extant insuper plurimæ imagines in Psalmis, & passim in Prophetis, quæ cum sine cognitione doctrinæ Physicæ explicari nequeunt, ipsos in hoc studij genere excelluisse conuincunt. Psalm. 92. dicitur: *Iustus ut palma florebit. Palmam oneribus non cedere, sed contra ea assurgere & se incuruare, Plinius prodidit libro 16. cap. 43. nec folia amittere. Libro eodem cap. 2.* Quas palme proprietates, siue quis ad Ecclesiam, siue ad doctrinam Evangelij transferat, meo

DE UTILITATE

quidem iudicio non errabit, cum
utranque, quò acrius ei homines
aduersantur, eò ampliores & feli-
ciores progressus facere, & quò ma-
iore conatu eius oppressio atque ex-
tirpatio queritur, tantò altiores a-
gere radices, suaq; indies incremen-
ta capere, omnium seculorum ex-
perientia comprobat, iuxta pro-
missionem Christi, Matth. 16. Por-
ta inferorum non preualebunt ad-
uersus eam.

Psalm. 103. Propheta inter cate-
ra, quæ Deus pijs beneficia confert,
vigorem corporis & animæ nume-
rans, similitudine aquila utitur.
Renouat, inquit, ut aquila, iuuen-
tutem tuam. Hanc queso collatio-
nem

PHYSICES, &c.

nem quomodo intelliget, qui lib. 10
cap. 3 Plinij non lecto, aquilam
neq; senio, neq; aegritudine oppete-
re ignorauerit, sed fame, ideoq; se-
nectam quoq; ipsarum vegetam,
firmamq; esse. Quae prouerbio locū
fecit, ut aquila senectus dicatur,
quae viribus adhuc est integris.

Ad horum itaque & similium
scriptura locorum, quae enumera-
re volentem dies & lingua de-
stituerent, explicationem & consi-
derationem uberiores, natura
contemplatio siue quae nos dedu-
cit, quae si modo conueniente adhi-
beatur, non solum eiusmodi scri-
pturae loca valde illustrabit, ve-
rūm etiam ad maiorem attentio-

DE UTILITATE

nem animos exuscitabit, mirificèq;
delectabit.

Agè verò testimonia ex novi
quoq; Testamenti libris excerpamus, in quibus itidem explicandis
naturalis Philosophiæ usus eximi-
us conspicitur. Narrat Matthæus
in initio Evangelicæ historiæ de Io-
hannæ Baptista, eum vili tum ve-
stitu, tum diæta fuisse usum. Esit às-
se enim ἀκρίδα καὶ μέλι ἀγρίον, hoc est, lo-
custas & mel sylvestre. Hic locus ut
intelligatur, Philosophiæ naturalis
cognitione opus erit, cùm multum
ab eruditis quesitum sit, quid nomi-
ne ἀκρίδα significetur. Theophyla-
ctus annotat, tradere quosdam,
herbas illas fuisse, quarum aliud

no-

PHYSICES, &c.

nomen sit μέλαρα. Quosdam inter-
pretari ἀκρίδαε, κρόδρια, hoc est, arbo-
rum gemmas aut fœtus, ut sylue-
strium fructuum cibo Baptistam
usum fuisse significetur. Sunt, qui
existimant, genus quoddam can-
crorum hoc loco notari. Sed nihil
attinet interpretationes alienio-
res colligere, cum recepta optimè
conueniat. Liquet enim ex Aristo-
phanis, aliorumq; autorum locis, lo-
custis vesci solitos veteres: unde ἑ
ἀκρίδοφάγοι quidam populi fuerunt
dicti, sicut qui piscibus vescuntur
ἰχθυοφάγοι, ut scriptum reliquit Stra-
bo Agatarchides ἑ Eusthatius in
librum Odysβ. θ.

Deriuant vocabulum ἀκρίς, παρὰ

D S

τὸ

DE UTILITATE

ἢ ἀγρᾶς τῶν ἀσυχύων ἡδὴ τῶν φυτῶν νέμεσθαι.
De melle eiusq; generibus Plinius
lib. II. cap. 14. Et alij legantur.

Deinde Salvator noster in prolixâ concione, quæ in monte ab ipso habitata est, Et tribus integris capitibus ab Evangelista Matthæo describitur, gravissimè monet discipulos, ac proinde omnes verbi divini ministros, ne, quod sanctum est, canibus dent, neve margaritas porcis volutandas, aut cæno poluendas proijciant. Quo in loco non dubium est, quin appellatione canum Et porcorum homines impios Dominus intelligat, qui profano Dei contemptu delibuti, nullam animæ suæ medicinam ad-

mitte-

PHYSICES, &c.

mittere volunt, quique tamen si sa-
pius ex verbo Dei de vita emen-
datione admonentur: nihilò tamen
meliores evadunt, qui deniq; tan-
quam canes ad vomitum, & sicut
sues ad volutabrum luti, ita ad
priora vitia redeundo subinde à
scelere in scelus præcipites ruunt.
Quid autem sibi voluit appellatione
margaritarum? Puram atque
pretiosissimam Evangelij doctri-
nam ea significat, qua istiusmodi
homines indignos esse Dominus
pronunciat. Ut enim uniones in-
ter gemmas omnium præstantissimi
sunt, nec ab hominibus sordidis at-
que impuris adhibentur, quando-
quidem illorum usus ad splendo-
rem

DE UTILITATE

rem & ornatum tantum comparatus est: sic longè pretiosiore esse salutarem Evangelij doctrinam, docet, quàm ut impijs & prophanis eius contemptoribus ad fastidium usque inculcanda sit, cum hi semetipsos horribili sua impietate, indignos illa faciant. Quòd verò margaritæ in magno pretio semper habitæ sint: apparet partim ex ipsarum ortu siue origine, partim ex autorum monumentis, qui de naturali historia scripserunt. Plinius refert, margaritas in conchis marinis nasci, & maximè laudari eas, quæ circa Arabiam in Persico sinu maris rubri inveniuntur. Idem commemorat lib. 9. cap.

PHYSICES, &c.

cap. 35. non sine periculo uniones
è conchis, in quibus harent, auelli.
Concha enim scopulis, quæ in ma-
ri eminent, tenaciter adhaerescunt;
at cum manum captantis vident,
ipsæ sese comprimunt, operiuntq;
opes suas, gnaræ, propter illas se
peti: nonnunquam manum, si præ-
ueniant, acie sua abscindunt. Me-
gasthenes concham margaritæ re-
tibus capi scribit. Versari au-
tem circa eam agmen multarum
concharum, velut apum examen,
Regem enim suum etiam, aut regi-
nam, margaritas habere, ut apes:
ac si fortè contingat regem capi, re-
liquum etiam margaritarum ex-
amen celeriter ei circumfundit: si
verò

DE UTILITATE

verò rex à piscatoribus euadat, ne
reliquas quidem conchas capi posse.
Earum carnes Indos, ubi eas cepe-
rint, putrescere sinere: osse ad or-
natum uti.

Arrianus quoque, ille, qui alter
Xenophon dictus fuit, in libro,
quem de rebus Indicis scripsit, an-
notat, in India margaritas repe-
riri, quæ contra triplum aurum ob-
rizum, atque id quidem in India
effossum, ueneant. Verba eius hæc

ἵνα εἶναι παρὰ Ἰνδοῖσι πλὴν μαργαρίτων τρισάκις
οὐ μᾶλλον τιμῆν πρὸς χρυσοῦ τοῦ ἀπιφθόρου, καὶ τὸ ἐν
τῇ Ἰνδῶν γῆ ὀρυζόμενον.

Et constat ex historiarum lecti-
one, unionem, quem in poculo li-
quescētum Cleopatra, Ægypti re-
gina, absorbuit, estimatum fuisse
ducen-

PHYSICES, &c.

ducentis quinquaginta millibus coronatorum. Verum hac, quæ ad historias pertinent, brevitatis studio, in præsentia omitto.

Præterea Dominus alibi commendans discipulis potestatem docendi Evangelium, & miracula faciendi, ut in suo nomine omnes populos de regno Messia edoceant, in quamcunq; terra partem venturi sint, serpentum prudentiam eos imitari iubet. Hoc mandato, cedo, quid aliud agit, nisi ut ad naturæ contemplationem, quam Physica profitetur, eos remittat? Unde enim aliàs serpentum prudentiam, quam iussi erant imitari, discerent? Serpens cum mustela, qua
cum

DE UTILITATE

cum naturale odium ipsi est, vel alijs animalibus pugnaturus, in orbem sese colligere dicitur, ac diligenter precauere, ne caput laedatur, quo hostem imminetentem precipue ferit, & auertere conatur. Idem serpens magna cura fugit & vitat frutices, ne contingat, & id genus alias res plurimas, quas sua natura aduersas & noxias esse nouit. Simili itaque prudentia & circumspectione opus fore discipulis, Saluator affirmat, quos se mittere ait in Mundum, non aliter atque ouiculas in plenum luporum agmen. Quibus verbis significatur, perpetuum fore dissidium pijs cum impijs, ac monet, eos de futura persecu-

secu-

PHYSICES, &c.

secutione, quam tūm illos, tūm omnes & singulos Ecclesie Doctores propter confessionem diuini nominis sustinere oportet.

Quomodo insuper agricultura & rei pecuaria, quæ sunt doctrinae physicae species, ignari, parabolas de vinea, de semine, de ouibus, quibus & seipsum & Ecclesiam Filius Dei depingit, intelligere aut dextrè explicare poterunt? Semen in terram sparsum & obrutū putrescit & emoritur: cum verò iam perijisse existimatur, rore et imbre cœlesti refocillatū, repullulat in germē, ex quo culmus, mox spica, et tandem arista nascitur, grana magno fœnore reddens, quæ nutritioni hominum

E

minum

DE UTILITATE

minum seruiunt. Eiusmodi grano
in terram coniecto seipsum Filius
DEI comparat, Iohan. 12. qui cum
ante mortem suam in exigua so-
lum Orbis parte docendo, Ecclesiã
ex populo tantum Iudaico collegis-
set, ex morte rediit in cœlo con-
scenso ad dexteram Patris sedens,
& Apostolis in Orbem uniuersum
missis, Ecclesiam ex Iudeis & gen-
tibus numero infinito colligit.

Simili ratione doctrinam Eu-
angelij passim semini confert, quæ
in corda hominum sparsa & ten-
tationum procellis excitata, fructu
fert copiosum.

Vineas propagando, putandoq;
conseruari, & ut vinum cordibus
homi-

PHYSICES, &c.

hominum latificandis producant,
preparari, calore cœlesti, præ cæte-
ris terra nascentibus, indigere &
foueri, vinitores norunt. Filius
DEI igitur Ecclesiam vinea, &
huius membra palmitibus, seipsum
viti, & Patrem cœlestem Vinitori
comparat, qui Ecclesiam contra
portas inferorum propagando con-
seruet, & membra huius mortua
præcidat: vicia verò & Christo in-
serta putando purget, & Spiritu
Sancto calefactos, fotosq; ad fructû
copiosum ferendum idonea efficiat.

Filius DEI Ecclesiam ouili,
& vera huius membra ouibus, se-
ipsum verò & omnes pios Docto-
res bono pastori, falsos verò docto-

DE UTILITATE

res & ignavos lupis & mercenarijs comparat, Iohan. 10. & parabola ex cap. 34. Ezechielis sumta est. Hac igitur verè ad causam principalem accommodare nemo potest, nisi ex re pecuaria doctus, naturam ovium & officia pastorum nouerit. Quemadmodum enim agni matrum suarum, & vicissim matres sobolis suae balatum exactè agnoscunt: ita pij doctrinam Ecclesiae incorruptam audiunt, & vicissim à matre sua Ecclesia agnoscuntur. Et sicut oves vocem pastoris sui audiunt, nec alium, sed illum solum sequuntur: ita Ecclesia vocem Christi audit & sequitur. Pastorum officia Ezechi-

el

PHYSICES, &c.

el recenset: infirmum consolidare, agrotum sanare, confractum obligare, abiectum reducere, perditum querere, sanum conseruare, oues contra furum & luporum insidias & rapinas, etiam cum vitæ discrimine, defendere: ouium verò lacte, lana & carne Pastorem alere. Hæc si quis & ad Christum ceterosq; Doctores, & ad Ecclesiam transferre velit, artis pecuaria non imperitum esse, necesse est.

Postremò reliquis, quæ exposuimus, testimonijs, hoc quoque colophonis loco addo ex 16. cap. eiusdem Euangelistæ, in quo rubedinis tam matutinæ, quàm vespertinæ mentio disertè expressa legitur.

E 3

Quan-

DE UTILITATE

Quando, inquit Saluator, serenum
est diei, dicitis, serenitas erit: ru-
bet enim cœlum: Et manè, hodie
erit tempestas: rubet enim cœlum
triste. Hic non modò incundum
fuerit, tenere causas, quas Physices
scientia suppeditat: sed etiam uti-
le in administratione rei familia-
ris, quæ etiam ad prudentem & di-
ligentem patrem familias perti-
net: sicut in uniuersum considera-
tio, contemplatioq; nature partim
naturale quoddam quasi pabulum
est animorum, & ingeniorum, &
plurimas habet incunditates, par-
tim etiam infinitas utilitates se-
cum affert. Cœlum autem manè
rubere existimatur, quando nubes
aquo-

PHYSICES, &c.

aquosa Solem, suis radijs omnia
collustrantem, circumdat: quod
dum fit, nubes rubedinem quan-
dam contrahit, eademq³, cum ex
aqua concreuerit, facile in plui-
am iterum resoluitur: Vnde vul-
gus multorum annorum experien-
tia edoctum, rubedinem matuti-
nam pluuiam significare, credidit.
Deinde, quod vesperi quandoque
rubere caelum videmus, id eam ob
causam fit, quod vapores plurimi,
virtute astrorum eleuati, sursum
ascendunt, per quos cum radij Solis
resplendent, subrusi aspicientium
oculis apparent. Quae rubedo sere-
nitatis secuturae indicium esse pu-
tatur.

E 4

Præ-

DE UTILITATE

Præterea hic appellationes varias, quæ tam ab Euāgelistis, quàm Apostolis usurpatæ in nouo Testamento passim occurrunt, & è Phisicorū, Medicorumq̃, Scholis translatae sunt.

Filius Dei doctrinam Euāgelij fermento comparat. Quem admodum enim fermentum farinae miscetur, ut panem inflet, & spiritibus in farina excitatis, nutritioni hominum idoneum reddat: ita voce Euāgelij Spiritus sanctus in pectora hominum transfusus, ad imaginem Dei, & ad opera Legi diuinæ conformia ipsos renouat. Fit autem mentis, voluntatis & cordis renouatio, quæ tres poten-

PHYSICES, &c.

potentia per tria sata, quibus mix-
tis & Sara Filium Dei hospitem
excepit, Gen. 18. & quibus Evan-
gelium Filius Dei, Matth. 13. mi-
seri ait, representantur.

Paulus 1. Cor. 5. peccatum in-
renatis reliquum fermento veteri
comparat ratione dissimili, quod
hominem inflet, ut idem 1. Cor. 8
affirmat, & hypocrisin, securita-
tem epicuream & iudicij divini
contemptum efficiat. Idem luctam
carnis & spiritus durissimam em-
phasi exprimere volens, verbo ὑπο-
πιάζειν utitur, cuius verbi non ea-
dem origo traditur. πύον ἢ πύον pus
est, unde ὑπόπυον ulcus est oculo-
rum, quod ex humore intra cor-

E 5

neam

DE UTILITATE

neam collecto & putrefacto natum
doloris oculorum acerrimi causa
est. Alij ἀπὸ τῆς πίεσιν, quod est, pre-
mere, affligere, & liuore polluere,
deriuant, id quod fit ex plagis ei-
dem corporis loco crebro inflictis.
Hoc igitur vocabulo D. Paulus
magnitudinem luctæ inter Spiri-
tum & carnem describere voluit,
cuius impetus & incendia non mi-
nori dolore restinguuntur, quam
qui ex plagis liuidis & saniosis o-
ratur. Quemadmodum enim Me-
dici membrum corporis vitiosum
urere solent, vel resecare, ne to-
tum corpus eo inficiatur: aut sic-
ut vim morbi malignam phar-
macis acrioribus retundere solent,
ne

PHYSICES, &c.

ne per totum corpus serpat: ita, inquit, ego meum ipsius corpus, hoc est, veterem hominem, subinde me sollicitantē, studeo retundere et domare, ne pravis suis affectibus retrahat me à curriculo, quo ἀφθαρτον σίφρονος aeternae vitae apprehēdere conor. Zachaeus Luc. 19. stans in arbore Sycomoro, ad lucem Euangelij per Christum vocatur, qui est typus eius dicti, quod ad Gal. 3. extat, pulcerrimus, quod Lex sit pædagogus in Christum. Συνομομορφία ficus est Ægyptiaca, fico & moro similis, fœcunda & lactea, fructus gignens copiosos, qui tamen nō maturescunt, nisi scalpantur, & oleo ungantur. Ad veram igitur pœnitentiam

DE UTILITATE

nitentiam necesse est, nos sycomoro
insistentes Christum intueri, hoc
est, disciplinam externam prestare,
quia in ijs, qui in sceleribus contra
conscientiam perseverant, Spiritus
sanctus non est efficax: Et audire
verbum, quod in ministerio sonat,
quia fides ex auditu est, Rom. 10.
Sed non placet Deo externa disci-
plina sine vera pœnitentia, cruce
Et consolationibus. Hunc typum si-
ne doctrina Physica explicari non
posse, omnes agnoscunt.

Vocabulo ἐκτενωματι & Paul. I. Cor.
15. utitur, quod fœtum immaturũ
significat, ut misericordiam DEI
amplificet, à quo contra omne su-
um meritum ad agnitionem Chri-
sti vo-

PHYSICES, &c.

sti vocatus sit. Verbo $\omega\lambda\alpha\gamma\chi\nu\iota\zeta\epsilon\omicron\delta\varsigma$
Scriptura de Christo saepe utitur.
Et paul. Coloss. 3. $\pi\iota\omicron\varsigma\ \omega\lambda\acute{\alpha}\gamma\chi\nu\alpha\ \omicron\iota\kappa\lambda\iota\varsigma\mu\omega\mu\ \epsilon\upsilon\delta\upsilon\sigma\alpha\omicron\delta\varsigma$ iubet, quae phrases sine
doctrina affectuum, qui sunt motus
cordis, quod inter $\omega\lambda\acute{\alpha}\gamma\chi\nu\alpha$ praeceptu-
um est, intelligi non possunt.

Apostolus 2. Timoth. 1. usur-
pat verbum longè elegantissimum
apud Gracos, $\acute{\alpha}\nu\alpha\zeta\omega\pi\upsilon\varsigma\epsilon\iota\rho$, monens
Timotheum, ne dona sibi diuinitus
concessa, perpetuo squalore & situ
elanguescere patiatur, sed potius,
quantum in se sit, assiduo studio &
doctrina aliisque honestis exercitijs
exuscitare eadem nitatur.

Sed tempus citius, quàm dicen-
di materia deficiat, si vocabula
omnia

DE UTILITATE

omnia enumerare velim, qualia sunt, θρόμβος, τράχηλος, μύελος, ἀρμός, συμπίθια, τύφος, καυτήριον, θυμός, quorum significationes sine doctrina Physica & Medica intelligi, & ad res verè intelligendas, quibus adhibita sunt, accommodari nequeunt.

Si quis verò Mathematica sacrae scripturae intelligenda non necessaria esse contendit, helleboro purgandus videtur. Quomodo, queso, intelliget, quod Filius Dei inquit, Iohan. II. Nonne sunt duodecim hora diei? aut, quòd idem hora diei sexta crucifixus sit, & hora nona tenebrae super uniuersam terram fuerint, & similia Scripturae dicta, quae mentionem
hora-

PHYSICES, &c.

horarum faciunt, qui discrimen
horarum ignoraverit? quarum 12
naturalis ab ortu Solis usque ad oc-
casum, quod est diei artificialis
spatium, apud veteres numerata
fuerunt. Quomodo docebit Eclipsin
Solis, tempore passionis Domini
conspicam in plenilunio seu oppo-
sitione, praternaturalem fuisse, qui
ignorat Eclipses Solis naturales
in novilunio seu coniunctione fieri,
corpore Luna inter Solem & vi-
sum nostrum diametraliter inter-
posito? Quomodo denique probabit,
Noam in arca integri anni spa-
tium fuisse conclusum, cum Scri-
ptura die 17 mensis secundi in-
gressum, & 27 eiusdem, anno ver-
tente,

DE UTILITATE

tente, egressum fuisse: qui ignorat
quantitatem anni Solaris commu-
nis esse dies 365, cum horis aliquot,
& scrupulis primis & secundis re-
siduis: Anni verò Lunararis dies
354. quod spatium ut annum Sola-
rem æquet, dies II ἑπαιτάς, addendas
esse? Vnde Nobis in arca annum
Solarem integrum, vel annum Lu-
narem cum II ἑπαιτάς, inclusum
fuisse colligimus.

Taceo appellationes Geometri-
cas, quarum mentio iterum atque
iterum in nouo Testamento occur-
rit, quarum significatio itidem è
Physicorum Scholis petenda est.
Nam Geometria haud postrema
τῆς φυσικῆς pars est. Taceo phrasas
&

PHYSICES, &c.

Et eruditissimas loquendi formu-
las: omitto elegantissimas μεταφορᾶς,
quas Scriptura à connexionē, ἢ καταρ-
τισμῶ singularum in corpore huma-
no partium, πρὸς οἰκοδομίαν, hoc est, ad
exadificationem corporis Ecclesiæ
pulcherrimè accommodat: id quod
videre est cum alijs in epistolis, tum
potissimum in prima ad Corinth.
cap. 12. Et in ea, quam ad Ephesios
scripsit, capite 4. Nam sicut in hu-
mano corpore, ut sit integrum, plu-
ribus opus est membris, quorum u-
numquodlibet peculiarem usum
corpori præbet: ita Deus, ut sibi
Ecclesiæ corpus in Mundo colligat,
alios subinde, atque alios excitat
doctores, Et alijs atque alijs donis
F ornat,

DE UTILITATE

ornat, quorum ministerio πρὸς κατάρ-
τισμόν τῶν ἀγίων, καὶ εἰς οἰκονομίην τῶν σώμα-
τῶν τῶν Χριστῶν, utatur.

Ex his igitur, ut opinor, satis
liquet, quanti Ecclesiae intersit, si
illi, qui sacrosanctae Theologiae stu-
dio sese dediderunt, tum Philoso-
phiam universam, tum etiam Phy-
sicen cum eo coniungant: et reliqui,
qui in Ecclesia iam docere coepe-
runt, mediocri Physices cognitione
instructi sint. Hoc namque modo u-
trunque eveniet, ut et illi, qui discunt,
tanto melius & citius discendo
proficiant, & qui docent, tanto
rectius docendo auditores erudi-
ant. Quamobrem facessant hinc
obtrectatores malevoli, qui Philo-
sophi-

PHYSICES, &c.

sophiam Theologo inutilem, aut
saltem non magnopere necessariam
esse clamitant. Illos verò iustam
mereri reprehensionem, boni omnes
fatebuntur. Quid enim hi, quosò,
aliud agunt, nisi ut Theologiam
famula sua, Philosophia, flagitiosè
spolient? & adminicula necessaria
tollant, sine quibus ad eam perue-
nire neutiquam licet? barbariem
denique iterum attrahant, qualis
avorum memoria in templa &
Scholas irrepsit? Nostrum verò
est, ut eam omni cura, studio &
assidua diligentia auertere nita-
mur: & summum Dei beneficium
agnoscamus, eiq; gratias agamus,
quòd ab ea liberare Ecclesias ha-

DE UTILITATE

rum regionum voluit. Quotus verò quisq; agnoscit? quotus quisq; gratias Deo agit? Rectè olim Poeta Comicus scripsit: Tum demum homines bona nostra intelligimus, cum quæ in potestate nostra fuerunt, ea amisimus. Idem profectò nobis iam verendum est, hac delira Mundi senectæ, in qua omnia ruinam minari videntur, ne olim carendo beneficij huius magnitudinem intelligere discamus, quod fruendo nunc negligimus.

Omniſeculis Deus inde uſq; ab initio Mundi excellētes Doctores Eccleſiæ miſit, qui ea, quæ ad cultus diuinos pertinent, quàm diligentiffimè populum docuerunt, qui-
que

PHYSICES, &c.

que sanam doctrinam aduersus
prophanos insanorum hominum
furores fidelissimè conseruârunt.
Tales fuere Adam, Seth, Mathu-
salem, & reliqui, qui ante diluuiũ
vixerunt: Talis post diluuium fuit
Noah, cum filijs tribus, à quibus v-
niuersum genus humanum propa-
gatum est. Hinc annis 1032 post
Elias, & huic additus $\omega\alpha\sigma\alpha\sigma\acute{\alpha}\tau\eta\epsilon$ E-
liseus, in populo Dei floruerunt, quo
tempore etiamsi Ecclesia varijs
modis pressa iacuit, adeò ut nullibi
ferè compareret: tamen mirando
DEI consilio seruata fuit.

Eodem modo sub finem Mundi
senescentis, alterum Eliam in enar-
rabili bonitate & misericordia

DE UTILITATE

excitavit Doctorem Martinum
Lutherum, τὸν κίβητα βοῆν ἀγαθὸν κα-
τερόρτε νομῆα, eidemq; itidem παρὰσάτηρ
fidelissimum adiunxit D. Philip-
pum Melanthonem, virum doctri-
na, pietate & iudicij dexteritate
incomparabilem, aeternaque me-
moria dignissimum, ut alter alte-
rum opera sua in sustinendis labo-
ribus immensis iuvaret, iuvandog;
sublevarct. Vtriusq; enim opera
coniuncta, Religio pura et Philoso-
phia sana ac gemina, qua superio-
ris temporis infelicitate, & Ponti-
ficiorum tenebris plus quàm Cim-
merijs, prorsus obruta latebant, è
labyrinthis intricatissimarum dis-
putationum eruta sunt, & Germa-
nia

PHYSICES, &c.

nia oris iterum restituta: & infelix
item Angia stabulum, hoc est, The-
ologia scholastica, ex Philosophia et
Ecclesia doctrina male intellecta,
confusa, singulari iudicio, & diu-
no atq; inimitabili artificio repur-
gata: deinde via adeo expedita &
facilis in artibus singulis monstra-
ta est, & obstacula, quibus antea
impedita fuit, remota: ut sine ne-
gotio ad eas artes, ad quas contem-
dunt, pervenire discentibus liceat.
Hoc verò illud erat ingens Dei be-
neficium, quod merito nos omnes et
singulos agnoscere, & gratis ani-
mis perpetuò, quoad vita suppetit,
celebrare decet.

Sed finem dicendi facio: Et ut

F 4 eodem

DE UTILITATE

eodem, à quo cepit, claudatur ora-
tio nostra: Sanctæ atque individue
Trinitati, æterno Patri, Filio &
Spiritu sancto, gratias ago, quan-
tas animo concipere possum maxi-
mas, quòd genus humanum non so-
lum ad imaginem suam ab initio
creavit, & creatum potenti dextra
sua mirificè sustentavit: verùm eti-
am eidem sese varijs modis patefe-
cit, & voluntatem suam, in primis
verò decretum de redimendo gene-
re humano, in peccatū lapsò, & reo
facto, deq; Filio in carnem mitten-
do revelavit, qui ^{ἀντιπαύρον} pro nobis
persolvit, et pœnam, quam nos met-
ipsi inobedientia nostra meriti era-
mus, lubenti animo sustinuit, ut
nos

PHYSICES, &c.

nos è potestate diaboli, sub qua propter peccata captivi detinebamur, eriperet, & imagine, quam amisimus, in nobis restituta, inferret glorioso suo regno, quod post consummationem seculi, deuictis omnibus hostibus, Deo & Patri suo tradet. Deinde eandem oro toto pectore, ut perpetuò sibi inter nos Ecclesiam colligat, quæ σὺλῶς ἐστὶ καὶ ἑδραῖωμα τῆς ἀληθείας, in qua sonet pura atq; incorrupta Evangelij doctrina, quam docuit voce sua Filius Dei, quando corpore suo in terris familiariter adhuc versaretur, quàmq; deinceps Apostoli per totum terrarũ Orbem longè, lateq; predicando propagarunt. Conser-

DE UTILITATE

uet quoq; ubiq; Scholas, quæ sunt
Ecclesie seminaria, in quibus etas
tenera tum in doctrina pietatis,
tum in artium, linguarumq; studi-
is humanioribus utiliter erudia-
tur. Et quoniam ubique terrarum
rumores bellorum gliscunt, pluri-
maq; irruptiones à barbarissimis
gentibus fiunt, quæ horribili Dei
odio indefinenter seuiunt, inq; ex-
itium piorum coniurant, ita ut ni-
si Deus ipse succurrerit, salui esse
nequeamus: itaque ipse furores ho-
stium imminentium ut reprimat
oro, Et pacem, qua plures iam an-
nos fruimur, clementissimè conser-
uare dignetur: quò Et posthac con-
uenire nobis docendi, discendique
caussa

PHYSICES, &c.

caussa liceat, inq. hisce alveolis nostris delitescere, in quibus grata Deo mellificia sunt. Omnibus rebus pax amica existit & utilis, maxime verò Musis: Silent quippe Musæ inter arma, & exorto bellorum rumore, ilicò conticescunt discentium cætus, & distrahuntur: Avertat denique ab hisce regionibus pestem, annonæ caritatem, & id genus alias difficultates, quibus regiones graviter affliguntur, & res tam publicæ, quam privatæ ut plurimum impediuntur.

DIXI.



QVÆ-

QVÆSTIO
DE VESTITV ET VI-
CTV IOHANNIS BAPTISTAE,

proposita à
M. PETRO COLEMANNO, Stetinensi,
Pomerano.



Eminem in hac corona augustis-
sima esse arbitror, Magnifice Dn.
Rector, Illustrissimi atque inclytæ
profapiæ Principes ac Domini, Do-
mini clementissimi, Generosi & il-
lustres Comites & Barones, Dn. clementes,
pietate, prudentia, erudita doctrina & virtute
præstantissimi Viri, huius Academiæ Professo-
res, Domini Præceptores summa obseruantia
colendi, cæteriq; eruditione & genere nobiles
& inclyti viri ac iuuenes, quotquot honoris no-
stri causa conuenistis: Neminem, inquam, ve-
strum esse arbitror, qui ignoret, me ad verba in
hoc cœtu amplissimo publicè facienda, non in-
genij fiducia & ausu proprio, sed officio, Præce-
ptorum iussu, & consuetudine huius Academiæ
inclytæ vetustissima, nec vnquam fatis laudata,
productum accedere. Quare orationi meæ veni-
am necessitas impetrabit, tædium breuitas adi-
met: cùm Siracides quoq; cap. 32. adolescentem
inter senes verba facturum, orationis vela con-
trahe-

QVÆSTIO

trahere, & multa paucis complecti iubeat, quorum hoc cum mihi negatum sit, illud tamen ut præstem, sedulo enitar.

Quæ Ipectabilis Dn. Decanus, Vir clarissimus, promotor noster dignissimus, de cognitione doctrinæ Physicæ gravissimè in mediū attulit, quòd Theologiæ Studiosum ea instructum esse oporteat, huic inclytæ Auditorum coronæ grata & necessaria fuisse existimo. Ex ijs enim cernitur, cum Philosophiâ Theologo futuro necessariam esse viri docti asserunt, nō qualemcūq; tantum artium dicendi, & linguarum cognitionem, sed totum omnium eius partium, Ethices nimirum, Physices & Mathematicum *σύνολον* cōprehendi. Eadem insuper verissima esse hanc ob causam existimo, quòd & præcipui Religionis Christianæ articuli, & dicta Scripturæ plurima, sine mediocri doctrinæ Physicæ cognitione intelligi nequeunt.

Creationis articulum distributio partiū Mundi illustrat, quæ apud Physicos extat, estq; substantiarum arbor seu series, & commentarius primi Geneseos capitis venustissimus, longèque pulcerrimus.

Trinitatis articulum doctrina de facultatibus supremæ potentiæ animæ hominis declarat, & Iudæos ac Turcas demonstratione firma refutat, qui cum *λόγον ἡμῶν πνεῦμα* negent, ipsi sibi
nu.

QVÆSTIO

numen fingunt, quod intelligentia, sermone & vita careat, ideoq; idolum colunt & adorant.

Articulum de peccato, sine cognitione doctrinæ de potentijs animæ hominis, nemo intelliget.

Enthusiasmus in doctrina de libero arbitrio corruet, si nō duæ tantum voluntatis actiones, Velle & Nolle, à quibusdam constituuntur, qui cum Velle in viribus humanis non inueniant, hominem nolentem & repugnantem conuerti somniant: sed si tertia addatur, quæ est, actionem suspendere, & inter Velle ac Nolle media.

Ad scripturæ dicta quod attinet, etsi plurima à spectatæ dignitatis viro, Dn. Decano recitata sunt, quæ sine Physica nec explicari, nec intelligi posse omnes cernunt: inter cætera tamen illud occurrit, quod de vestitu & victu Iohannis Baptistæ ex Matth. cap. 3. citatum est, cuius explicationem ex doctrina Physica rectissimè peti, nemini dubium esse potest. Iohannes, inquit Euangelista, vestimentum habebat de pilis Camelorum & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.

De utroq; sententiæ Doctorum sunt variæ. Quibusdam hæc causa placet, Iohannem amictu & victu horridiore, & ab omni urbano nitore & lautitijs remoto vti, cibisque non arte co-

ctis,

QVÆSTIO.

Etis, sed natiuis tantum vesci voluisse, vt omnibus humanis, quæ oculos audientium perstringere possent, remotis, sola Dei maiestas in ipso fulgeret, & in sui admirationem omnes raperet. Augustini iudicium in Sermone secundo de ieiunio extat his verbis: Iohannes præcursor Domini locustis in Eremo et agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suauitatibus pascitur. Poterat utique iuxta Iordanem positus, piscium sibi exhibere delicias, sed poenitentiam prædicaturus rigorem ieiunij exemplo suo magis debuit & factis ostendere, quam voce. Quo dicto etiam si Pontificij, perinde vt ieiunio Moysis, Heliae & Christi quadragesimali, ad carnis priuium, vitam eremiticam & ieiunia sua asserenda, defendendâq; abutuntur: rectius tamen intelligetur, si cum testimonio Filij Dei conferatur, quod Matth. 11 extat: Venit, inquit Filius Dei, Iohannes neque manducans neque bibens, & aiunt, dæmonium habet, &c. innuens nimirum, nec sese læto & hilari vultu, nec Iohannem vita austerâ homines ad poenitentiam & fidem flectere potuisse. Dictum enim Filij Dei non de abstinētia ab omni cibo & potu, sed ab eo tantum, qui exquisita hominum arte & industria præparatus, instructusq; voluptati & lautitijs seruiret, accipiendū esse docti censent. Alij Iohannem, vt loco et ritu nouo, Baptismatis nimirum in deserto inchoati, ita victu & vestitu à Leuitis di-

uerso.

QVAESTIO.

auerſo, finem Legis Moſaicæ ſignificare, & ad exemplum Helix, vita duriore autoritatem doctrinæ ſuæ conciliare voluiſſe ſentiunt. Et congruit hæc quoque ſententia cum teſtimonio Filij Dei, quod ibidem extat: Omnes, inquit, Prophetæ & Lex uſque ad Iohannem prophetauerunt, & ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias, qui venturus eſt: & Malachias prædixerat, præcurſore iam miſſo, quem cap. 4. Heliam nominat, dominatorem & Angelum Teſtamenti ad templum ſuum eſſe venturum, & filios Leui purgaturum, abolitiſq; ſacrificiis Moſaicis, quæ typi & umbræ futurorum hætenus fuerant, ſacerdotes noui Teſtamenti ordinaturum, qui ſacrificia in iuſtitia, & hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum 1 Pet. 2. & hoſtias viuentes, ſanctas, Deo placentes, rationale obſequium ſuum, Rom. 12. offerrent.

Hæc igitur eſt maximæ virorum doctorum partis de veſtitu & victu Iohannis ſententia, pia quidem & ipſa, verboq; Dei conſentanea, generalis tamen, & quæ neque qualis ille veſtitus, victuſq; fuerit, neque cur hoc, & non alio, Iohannes uſus ſit, exprimit. Non enim, vel temerè, vel loci tantum ſolitarij incommoditate inductum Iohannem hoc veſtiendi, victitandiq; genus elegiſſe, conſentaneum eſt id quod tamen Nicephorus ſentire videtur, qui lib. 1. cap. 14. Iohannes,

AD QVAESTIONEM

hannes, inquit, vna cū matre Elisabetha in spelunca quadam ad regionem montanam saluus conseruabatur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manū atque in solitarijs locis libenter versari solitus, Angeloque duce vsus, in recessus syluarū remotiores recessit. Ibi tenerioribus arborum, frondiumq; summitatibus pro cibo, camelis pilis pro tegumento, pelliceaq; insuper zona utebatur. Hæc Nicephorus, qui victum & vestitum Iohannis sordidiorem loco solitario & educationi ipsius ascribens, moribus forsitan & sordibus Eremitarum ac Monachorum patrocinator, quæ vtraq; an in Iohanne, si talia fuissent, laudē mereri potuissent, & an in his, qui non necessitate, sed κακοζήλια mori exemplum imitantur, laudem magnopere mereantur, dubium videri potest.

Quanquam enim aliquid loco incommodiori tribuendum censeo, qui cibis lautioribus affluere non potuit: educatio tamen sordidior aliquā moribus maculam non raro aspergit quæ ad doctrinam redundat, & autoritatem docentis minuit, id quod IOHANNI tribuere pietas prohibet, cui testimonium Iosephi consentit, qui lib. 18. cap. 10. IOHANNEM virum valde bonum nominat, & hanc doctrinæ ipsius summam fuisse refert, vt homines virtuti operam darent, iustitiam colerent, in DEVM seruariet pietatem, &

G

per

Q V A E S T I O

per Baptismum in vnum coirent: tum demum enim Baptismum acceptabilem fore, si non solum ad peccata abluenda sumatur: verum etiam ad castimoniam corporis atque ad animæ iusticiam, purificationemque seruetur, omniumque pariter virtutum velut signaculum & custodia quædam fidelis habeatur. Atque ob hanc doctrinam & virtutum exemplum, quod in ipso fulsit, tum apud populum vniuersum, tum apud ipsum Herodem, autoritate excelluisse, & propter populi concursum Herodem regno suo metuisse, ibidem scribit. Hæc vitæ solitariæ & sordibus non conueniunt, quas Eremitæ & Monachi, ut suas tueantur & tegant, Iohanni affingunt, cum ab eiusmodi Luperco, seu Syluano, qualem ipsi fuisse Iohannem somniant & pingunt. Herodi nihil metuendum fuerit, nec multum autoritatis vel doctrinæ vel personæ ipsius inde accedere potuerit.

Non dubium igitur est, Iohannem consilio graui, & per Spiritum sanctum inspirato, quo ipsum Lucas in utero repletum esse scribit c. 1. non tantum ceremoniam baptizandi nouam in loco solitario, sed etiam vestitum & victum à cæteris hominibus diuersum, atque hunc quidem, qui ab Euangelistis describitur, & non alium, elegisse, huiusque sui facti causas habuisse grauissimas, siue Theologicæ illæ fuerint, siue Philo-

so-

QVAESTIO

sophicæ: de quibus aliquid certi statuere aut iudicium interponere, cum nec eruditionis meæ sit, nec ætatis, explicationem huius materiæ vberior è à M. IOHANNES GRVNIUS Noribergense requiro, & officiose peto, vt studiosæ iuuentutis informandæ gratia, copiosius de ea differat.

Oro filium Dei, vt Philosophiæ purioris studia, quorum ministerio Ecclesia carere non potest, contra barbariem ingruentem sarta recta conseruare, & ad posteritatem, si qua erit, propagare, & nos omnes vasa misericordiæ & organa nobis ipsis & alijs plurimis salutaria efficere dignetur. Dixi.

RESPONSIO.

EGO verò, humanissime D. M. amice colende, vt à fine oratiunculæ tuæ ordiar, mea quoque vota tuis coniungo, & oro Filium Dei, vt propter gloriam nominis sui & salutem Ecclesiæ, lucem tam Philosophiæ, quàm verbi sui incorruptam, in hac Mundi senectâ & in hac hominum fece, per Reuerendos viros, & fideles in vinea Christi cooperarios & Collegas D. LVTHERVUM, & Dn. PHILIPPVM sanctæ ambos memoriæ accensam, conseruet contra barbariem, quam nobis hoc seculo ὑπερόπται τῶν εἰωθότων καὶ σαυμασά τῶν ἀτόπων portendunt: G 2 quam

RESPONSIO

dunt: quam barbariem tenebræ in Religione comitantur, vtramq; verò mutatio vniuersalis sequitur.

Quod igitur Plato Polit. quinto de gubernatoribus affirmat, nisi aut Philosophi ad gubernacula sedeant, aut qui ad gubernacula sedent, Philosophiæ Studiosi fuerint, nullum in Republica turbarum finem fore: id multò rectiùs de ijs, qui Theologiæ studio sese consecrârunt, & quorum curæ gubernatio Ecclesiæ commendanda est, usurpari posse censeo, qui cùm Philosophiam sibi necessariam esse audiunt, si non tantùm artes dicendi, quas ad declamitandum pro concione sibi opus esse existimant, sed linguas quoque & cæteras Philosophiæ partes, Ethicam, Physicam & Mathemata comprehendere intelligerent, maiori fortasse frequentia Philosophicarum lectionum auditoria completerent, & ad munia Ecclesiastica promoti, minus turbarum Ecclesiæ darent. Quòd enim Arithmetica & Geometria duæ dicuntur alæ quibus in cælum subuolamus, ad motus astrorum inquirendos, qui Deum autorem vtcunq; monstrant: id multò rectiùs de linguis & artibus, quibus non solam Logicam, sed totam ἐγκυκλοπαιδίαν Philosophicam intelligimus, usurpandum est, quia Spiritu sancto duce, hisce duabus alis, abyssos sapientiæ diuinæ scrutari, & essentiam ac voluntatem Dei penitus cognoscere possumus. Sed

AD QVAESTIONEM.

Sed ad tuam quaestionem, quæ est vna ex
ijs, quas ignarus doctrinæ Physicæ explicare
solidè non potest.

Quaestio tua est de vestitu & victu Iohannis,
quæ vtraq; ex ipsius vocatione rectissimè intel-
ligantur, & vestitus fortassis ad historiã magis
pertinet, sed in victu doctrina Physica aliquid
mysterij monstrare poterit. Priùs igitur pauca
historica de vestitu commemorabo. Vocatio Io-
hannis duplex erat, prior peculiaris, & quæ per-
sonam ipsius spectaret, vt in spiritu & virtute
Heliae Dominum præcederet, & vinum ac sice-
ram non biberet, Luc. 1. quæ Nazaræorum Lex
fuit, Num: 6. Altera, quæ ad totam Ecclesiã per-
tineret, & officium ipsius præcipuè spectaret,
vt prædicatione poenitentiae & nouo baptisma-
tis ritu non tantùm Messiae, Euangelium, de ge-
nere humano gratis recipiendo, ex sinu æterni
Patris proferenti, viam præpararet: sed etiam
lege Mosaica & gentis Iudaicæ prærogatiua ab-
olita & sublata, Ecclesiam deinceps ἐκ τῶν λίθων
καὶ τῶν λαῶν, hoc est, ex gentibus collectũ iri te-
staretur. Amictu igitur vsu esse qui vtriq; vo-
cationi responderet, & Heliae officium, & legis
abolitionem repræsentaret, consentaneum est,
eum nihil tam sit decoro aduersum, quàm si ve-
stitus vocationi non respondeat. Communis sen-

buq

G 3

tentia

RESPONSIO

tentia est, rude vestimenti genus fuisse, quò specimen maioris sanctitatis in ipso luceret, maior doctrinæ autoritas accederet, & plures ad imitationem allicerentur: ideòq; exemplum Iohannis, Monachi & Eremitæ, pietatem singularem habitu sordido præ se ferentes, ἐκ κακοζῆλιας strenuè imitati sunt. Crassius pictores sentiunt, qui Iohannem cuti Camelinæ inuolutum expriment, id quod neq; ex textu convincitur, neque hominem monstri instar vestitum, vel sibi vel doctrinæ suæ aliquid autoritatis vel gratiæ conciliare potuisse consentaneum est, neq; vestitum Heliae talem fuisse, ex historia apparet. Et si enim 4. Reg. 1. scribitur, virum fuisse pilosum, h. e. ut quidam interpretantur, veste pilosa indutum, qui habitus à luxu & mollitie alienissimus, Prophetæ sub dio atque in deserto plerunq; versanti, contra aëris iniurias commodissimus fuit: refragari tamen videtur, quòd c. 2. de pallio Heliae, quod in cœlū per turbinem ascendēti ceciderat, tale vocabulū extat, quod Ebræis vestem ingeniosè factam, illustrem, & pellibus inclytis subductā significat, qua reges & Prophetæ vsi sunt, idēque vocabulum de pallio Babylonico Ios. 7. & de habitu regis Ninivitarum Ionæ 4. vsurpatur. *Habitus igitur Heliae honestus fuit & magnificus, qui autoritatem ipsi & maiestatem adderet, qua non tantum apud vulgus, sed etiam apud*

pu

AD QVAESTIONEM.

pu^d reges Iudæ & Israëlis polleret, ut ex ipsius historia cernimus. Quare Iohannis etiam vestitū nec monstruosum, nec sordidum, sed qui auctoritatē ipsi tūm apud vulgus, tūm Iudæorū proceres, ipsūmq; Herodem conciliaret, augustum fuisse consentaneum est. Sed de materia quæritur.

Camelus est animal quadrupes, & funem nauticum significat. Vestis igitur Iohannis vel ex pilis Cameli confecta fuit, qualia sunt nostra cilicia, ex pilis caprarum contexta. Cilicium autē, ut passim in scriptura, imprimis Matth. cap. 23. legitur, olim pœnitentiæ symbolum erat, cuius primus doctor cum Iohannes esset, non voce tantūm, sed gestu quoq; & habitu pœnitentiam docere voluit, atq; hoc vili vestitus genere Orientales, qui fortunæ tenuioris essent, vfos legitimus, quales ferè sunt centones nostri, & talibus uti, qui ex captiuitate Turcica ad nos redeunt, quotidie cernimus. Alij vestem ex pilis & lino mixtam fuisse sentiunt, qualia sunt nostra subserica & undulata, ex materia diuersarum specierum confecta, quo genere vestitus Iudæis uti non licebat, Deut. 22. & Dn. PHILIPPVS undulatam, aut ei similem, & pellibus subductam fuisse aliquando conjiciebat, & talem quidem, quæ maiestatem ipsi adderet, siquidem & Herodes ab ipso sibi metueret, propter concursum hominum, & Pharisei Messiam esse puta-

RESPONSIO

rent, quod de Satyro, qualis vulgò Iohannes fuisse putatur, suspicari absurdum fuisset. Alij denique ex lino crassiore, ex quo funes nautici sunt, qualis est nostra canabis, confectâ fuisse putant, quam cingulo coriaceo strinxerit, cum Sacerdotes cæteri, ipsorumq; filij linea gestarent, & baltheis ex bysso retorta confectis sese cingerent, Ex 28 & 29. Qualiscunq; igitur Ephod vestitus ille fuerit, talem certè fuisse nō est dubiū, quo Iohannes finem legis Mosaicæ instare, Ecclesiam deinceps ex Iudæis & gentibus mixtim colligendam, & gentes, quæ hætenus luxu, libidine, & alijs vitijs difflexerant, unitate doctrinæ & fidei, seu baltheo constringendas, consociandasq; esse ostēderet, qua similitudine Ieremias quoq; videtur cap. 13. Ecclesiam Iudaicam lumbari lineo seu cingulo comparans: sed & hoc significare voluit, Sacerdotium novi Testamenti non in vestium discrimine, sed in iustitia Christi, veri agni consistere, quæ per vestem pelliceam repræsentata est, qua Iohannes, & ante ipsum Elias, & qua primi quoq; parentes vestiti fuere. Taceo, quod CHRISTVS & pij doctores Camelo comparantur, quod animal est laboriosum, mansuetum, dominio hominū sponte se subijciens, lac ab hominis lacte dulcissimum præbens & naturale cū equo dissidium habens, vt extat apud Plin. lib. 28.

cap.

AD QVAESTIONEM.

cap. 9. & lib. 8. capite 18. & si quæ sunt aliæ proprietates, quæ ibidem commemorantur, & ad CHRISTVM, Ecclesiam & doctrinam Evangelij venustè accommodari possent, nisi tempus obfisteret. Haftenus de vestitu.

τροφῆ, de qua est pars quæstionis altera, victum seu nutrimentum significat, quo cibum & potū complectimur. Cibus Iohannis ἀκρίδες fuerunt, quas aliqui extremos virgultorū apices intelligunt, quibus Iohannes pro lactucis in deserto vsus sit: atque hanc esse Nicephori sententiam, ex ijs, quæ allegasti, apparet, qui tenuitatem victus amplificans, quo Iohannes vsus est, Eremitis patrocinari voluit, qui in syluis latitantes, & solo herbarum sponte nascentium radicum et virgultorū vsu victitarent. Alij locustas rectius interpretantur, quæ non sunt cicadæ nostræ, sed animalia his terris ignota: ideoq; voce vernacula carent. Locustæ enim aut sunt volatiles, vt apud Plinium lib. 11 cap. 29 extat, quas fumo & sale duratas cibum Æthiopū esse, idem libro 6. cap. 30. refert: atque hoc auium genere Iudæis vesci licebat, tamen cætera volatilia τετραπόδα καὶ πτερόποδα ipsi immunda essent. Leuit. 11. aut sunt pisces ὀστρακίνοι, de cancrorum prope modum genere, vt Plin lib. 9. cap. 30 refert, & Dn. Philippus cancos alicubi nominat, quo piscium genere Iudæis vesci non licebat, Iohan-

RESPONSIO

nes igitur locustis victitavit, vel ex temperantia, quam Filius Dei Matth. 23. prædicat, vel ut testaretur, finem sacerdotij Levitici instare, cui Deus medullam olei, musti ac frumenti, & optima quæque de sacrificijs populi ad fruendum, Num. 28. concesserat, & discrimina ciborum deinceps abolenda, noviq; Testamenti ministris deinceps tenuiter victitandū esse. Præterea sicut locustæ volatili cum serpente, & aquatili cum Polypo ἀντιπάθεια est, & tanta quidem, ut eo iuxta conspecto moriatur: Ita dissidium capitale Iohanni fuit cum hypocritis, quos viperarum progenies, & cum Herode, quem Christus vulpem nominat, à quo Iohannes tandem interfectus est.

Porus Iohannis fuit μέλι ἄγριον, hoc est, mel sylvestre, quod Plin. lib. 11. c. 16. mel ericæum nominat, & inter omnia mellis genera minimè probat, quòd apes illud ex erica in autumno colligant, quæ hoc anni tempore in sylvis plurimā floret. Quòd igitur Iohannes ex hoc melle potum confecit, quale ferè est nostrū ὑδρόμελι, tres sunt causæ: vel quòd lege Nazaræorum, vinò & sicera ipsi interdictum fuit: vel quòd ministerium suum ad loca Iordanis deserta in autumno incoavit, in ipso Tubarū festo, ut typus congrueret, quo tempore & loco copiam huius mellis habere potuit: vel quòd usus huiusmodi potus cum vocatione ipsius congrueret. Quem
admo-

AD QVAESTIONEM.

admodū enim apes aestatis tempore ex floribus nobilioribus mella generosa, & postquā illi defecerint, in autumno ex floribus ericæ, herbæ ignobilis & contemptæ, mella tenuiora colligunt: ita Ecclesia primū ex patribus, quod fuit tempus generis humani vernū et προακμῆς, postea ex populo Iudaico, & semine Abrahamæ, quæ fuit æstas, ἀκμῆ, seu vigor generis humani, collecta est. Sed cūm populus Iudaicus, qui flos fuit generis humani nobilissimus, doctrina Evangelij abiecta deficeret, Ecclesia deinceps per Apostolos in autumno & παρακμῆ generis humani colligitur ex gentibus, quæ nomine et typo per Ericam herbam sylvestrem et ignobilem representantur. IOHANNES igitur, hoc vrens potu, significare voluit, Iudæis reiectis, Ecclesiam deinceps ex gentibus colligendam esse. Atq; hanc ob causam Ecclesiæ gentiles gratitudinis ergo, in plurimis locis, die Iohannis natali, huius beneficii memoriam recolentes, potū ex melle confectum bibunt, tametsi causam huius moris veram plurimi non intelligant.

Aliqui δ' ερωτῶμεν fuisse volunt, quo Iohannes usus est, quod est genus mellis non ab apibus confecti, sed ex rore celesti circa Libanum geniti, quod Manna nominant, & vel ad Filium Dei, qui Iud. 6. per rorē, qui in vellus Gideonis descendit, significatus est, & pluviam in vellus descendenti

Psalm,

RESPONSIO

Psalm. 72. comparatur, & Iohan. 6. panis ille, qui de caelo descendit, nominatur, & quem Iohannes primus monstravit: vel ad Euangelium, quod est Manna caeleste, cuius praecursor primus Iohannes fuit: vel ad Ecclesiam, de qua Psalm. 170. dicitur: Ex utero oritur tibi ros generationis, venuste accommodari possent, si loci & temporis ratio permitterent.

Ex hoc igitur vel unico exemplo, ut caetera infinita taceam, cernitur, non tantum artium dicendi, sed etiam Physices cognitione, ut Ethicam in praesenti taceam, Studiosis Theologiae opus esse, & stultissime facere, magnoque seipso thesauro priuare, qui propterea, quod Theologiae studeant, Physicam sibi nec necessariam, nec utilem esse somniant, poenas aliquando stultitia sua dignas daturi, sera nimis poenitentia.

Oro Filium Dei, ut quemadmodum utrumque doctrinae genus inde usque a Mundi initio in Ecclesia coniunxit, & in hac ultima generis humani fece & παρακμή, per duo Ecclesiae & Germaniae luminaria, D. Lutherum, & Dn. Philippum, sanctae ambobus memoriae, instauravit: ita deinceps tum in Ecclesia vniuersa, tum in hac praecipue Schola, utrumque etiam contra Lutheri & Philippi *μάστιγας* factum, tectumque conseruet. Theologia

AD QVAESTIONEM

gia enim Dn. Lutheri , cum Philosophia &
methodo Dn. Philippi , & cum vtraque sine
dubio hæc quoque schola stabit & corruet.

DIXI.

DECA-



DECANVS COL-
LEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VVITEBER-
GENSI M. SIMON GRONENBERGIUS,
Freienvaldensis, Pomer. Artium
liberalium Studiosis
S. D.



*Il ita fomētis mœrentia pectora mulcet,
Quam quòd & esse sciunt, & quòd
adesse DEVM.*

*Nec genus omne hominum depelli à nu-
minis vsu,*

*Quanquam res variæ turbine sortis eant:
Sed tam dissimili decerpi ex agmine partem,
Quæ CHRISTI voces aure, fideq; caput.
NOS sumus, ac erimus pars cœtus vera professi;
Ergo suo præsens iumine CHRISTVS erit.
Omnis in hunc finem labor, & cōnatus anhelat,
Agminis vt corpus restet in Orbe sacri:
Et scoria abstersa doctrina germinet aurum,
Quod tellure nigra, sancte LVTHERE, coquis.
Quòdve pater rerum, verborumq; ille MELANTHON
Ad verum retulit sorde priore decus:
Doctrinamq; vagam corpus digessit in vnum,
In quo pax nervum religioſa tenet.*

In

In re, quæ Fidei caput est ac regula nostræ,
Personæ & ratio reddita, CHRISTE, tua est:
Præsule cum Latio nobis lis nulla coorta est;
Et Ius de trino numine vera refert.
Huic ergo articulo in dubium non antè vocato,
Vim faciens, sensu vel meliore cadens:
Deficit à scripto, quo neruum pacis habemus,
Et simul ex pacis conditione cadit:
Falsaq; de CHRISTI persona semina spargens,
Turcis in parili ducitur esse gradu.
Nam quod ad hoc Fidei caput attinet: Ipse Lutherus
Cum PAPA litis nūl, ait, esse sibi.
Nec rem voce geret nobiscum PAPA, sed armis,
Si quisquam Fidei semina prima neget.
Quod fit apud tales, quibus Eutychis error inhæret,
Qui mixtum generis ius vtriusq; refert:
Fundit & in carnem diuinæ propria formæ,
Et sic, ceu Deus est, corpus ubiq; locat.
SCRIPTA sed in medium dabimus meliora Philippo,
Inquis, & est nobis nomen inane patrum.
An data sint meliora: pios ex ordine cætus
Arbitria in medium libera ferre decet.
Non sibi ius debet prætoris sumere præco,
Nec mens, vt corpus, more regenda fori est.
Si reus est: cur non cætu conuincitis actio?
Damnari res non cognita iure nequit.
Si iuuenum ex manibus rapiantur scripta Philippi:
Ecqua erit ad sacros tam via plana libros?

An pax

An pax facta suum poterit retinere vigorem?
Aut ubi colloquijs parta trophæa manent!
Si toties actæ, sint cassæ pondere, cassæ:
Reddite præsulibus iura priora suis.
SED meliora DEVS dabit, & pia cura potentum:
Sunt, & erunt qui te, doctè Melanthon, ament.
Non omnem porrigo gregem sic pressit, ut illam
Abstergi Albiaca posse negemus aqua.
Quod Sol in cælo est, erat in tellure MELANTHON,
Artibus hic: Mundo lumen at ille dedit.
Verus vterq; pater: vitam fert omnibus ille:
Hic artes, quarum munere vita Dei est.
Dumq; opus est arte ad vitam pietate colendam:
Tradat & ille artes, & pietatis iter:
Et cum sit pietas ac ars perspecta PHILIPPI:
Nos in hoc ludo tradit vtramq; labor.
Et ne Papa putet, nos prodere scripta PHILIPPI.
Cassaq; sit pacem iusta abolere sacram:
NOS à dente canum tutamur scripta parentis;
Fas Præceptorem patris habere locò.
Non dubitate, DEVS Cuculos quin oderit omnes,
Qui sancto obijciunt crimina ficta viro.
Huic odium conflant per dicta expertia veri,
Et quò non penetrant, missa subintrat anus.
TU DEVS es verax, & amantes vera iueris:
Ne sine nos fido longius ore premi.
Cùmq; bonas artes res Christo addicta requirat,
Quo sine subsidio spina fatigat agros:
Ordine quisq; suo iuuet agmina dedita Musis,
Et putet his cætus semen inesse Jacri.

Quis

Quis sine notitia linguarum, artibusq; disertus
Verba Dei sensu cum sapiente capis?
Quam malè de Christi persona ac munere garris,
Qui non excultum pectus ab arte geris.
Doctrinaq; gradus ideo assignantur honesti,
Est quia discendis artibus ordo suus.
Hæc quia sacrarum rerum tractantur ad usus:
Has operas Ludi constat amare DEVM.
Artes signa ferunt animis, non turbine cæco
Hoc theatrum Mundi fertilis esse satum:
Nec genus humanum tantum hæc ad fata creatis:
Sed quod erit melior res meliore loco:
Qua divina suos dabit illis gratia fructus,
Cura quibus rectè verba secare DEI est.
HOC etiam ex usu est, studiorum inquirere cursum,
Et titulis graduum condecorare bonos.
Hinc facio certos, hæc ornamenta petentes,
Quod dare censuræ tempora certa velim.
O caput, & spes fida hominum, fer Christe salutem,
Et lux consilij, duxq; laboris ades.
Dirige res Ludi, da pacem, aurasq; salubres,
Ut possint cœtus, & pia sacra coli.
Fac verum obtineat suppresso semine fraudum,
Quod velit assensu candida turba sequi.
Tu via, tu verum, tu Sol es verus, & vnus
Cum Patre, cum Flatu semper, ubiq; DEVS.

P.P. die Visitationis Mariæ, Anno

1587.

H

INVIT A-

INVITATIO
DA EXAMEN PUBLICVM.

IMperator Iulianus, ille, quem propter agnitæ veritatis Evangelicæ abnegationē, ἀποσάτης nominant, cum acerrimus Christianorū hostis esset, & Religionem ipsorum penitus deletam cuperet, scholarum vsu interdixit Christianis, certò sibi persuasum habens, extinctis bonarum literarum studijs, veræ etiam Religionis doctrinam sponte sua interituram. Ex quo satis liquet, iustissimam reprehensionem incurrere eos, qui insulis hoc præsertim tempore, clamoribus contendunt sine artibus doctrinarum studijs Ecclesiam doceri & gubernari posse, cum ipsi hostes fateri non erubescant, doctrinam Ecclesiæ nulla re magis, quam veræ & sobriæ Philosophiæ vsu aduersus hæreticorum impetus muniri ac propugnari. Quocirca cum tanta sit literarum & Philosophiæ dignitas, vsus & necessitas: singulare Dei beneficium esse existimemus, quòd in genere humano subinde aliquos docentium, discentiumq; cœtus à reliqua turba segregat, & Scholas conseruat, in quibus honestarum disciplinarum semina, quæ animis nostris in prima rerum origine diuinitus insita sunt, excolantur, & ad alios propagentur: ne his neglectis aut deletis, vita nostra similis sit Scytharum & Cyclopum agmini, à quo disciplinae liberales non solum longè, latèq; exulant, sed

fed & vita ipsorum aspera, deformis & inhumana existit.

Quòd igitur DEVS perpetuò inter nos artiũ & veræ Philosophiæ studia conseruat, & vult Ecclesiam eruditam magistram & doctrinæ officinam esse, id verò summi beneficij loco ponendum & magnificiendum est. Sunt enim hæ artes velut alueoli & fasciæ quædam, quibus incomparabilis ille doctrinæ cœlestis thesaurus inclusus, contra Sophistarum syphæ tutior esse, & verbum Dei rectius secari possit. Inprimis autem linguarum studium, quod adhuc, Dei beneficio, studiose & fideliter apud nos conseruatur, grata mente amplectendum & retinendum est. Per hoc enim doctrina cœlestis in omnes orbis terrarum partes propagatur.

Quæ cum ita sint, meritò singuli lætemur, nos versari in militia Deo grata, in qua summus dux & doctor est ipse Filius Dei: & singuli quoque vocationis nostræ officia faciamus sedulo ac fideliter: quò disciplinæ liberales, quas Philosophia continet, & sine quibus bene, beatèq; viuendi rationem consistere posse negamus, conseruentur, & tanquam fidele depositum ad posteritatem transmittantur. Idq; vt eò rectius præstare possimus, hanc sapientis & eruditæ antiquitatis consuetudinem examinandi & tribuendi testimonia ijs, qui digni sunt, exemplo optimi præceptoris nostri PHILIPPI MELAN-
CHTHONIS, æterna memoria dignissimi, studiose & accuratè obseruemus. Qui quàm libèter adie-


rit examina, in quibus discentium profectus certa ratione explorarentur, plerisque uorum esse existimo. Dicere ipsum solitum fuisse, accepimus: Eiusmodi examinum colloquia, imaginé referre cœlestis illius Academiæ, in qua mutua quadam *αυξησις* nos quoque cum ipso Filio Dei, cū Prophetis & Apostolis, cum tota denique cœlesti Ecclesia de mirandis consilijs & operibus, in creatione & redemptione generis humani editis, collocuturi sumus. Quæ voluptas tanta erit, ut nullius hominis, quantumuis eloquentissimi, lingua eam effari, nedum satis celebrare possit.

Proinde cum hisce diebus honesti ac docti quidam viri ac iuuenes à nobis, pro more Collegij nostri, priuatim auditi sunt, qui gradū Magisterij Philosophici petaturi, præclarum eruditionis & diligentiaæ suæ specimen dederunt: hoc & crastino die, Deo volente hora prima, in doctissimorum virorum theatrum, ut publicè examinentur, eos producemus. Quare Reuerendos, clarissimos & excellentissimos Dn. Magistros & Doctores omnium Facultatum reuerenter & officiosè rogamus, ut hac & crastina die, hora prima in Auditorio Medicorum frequentes conveniant, & Candidatorum nostrorum in artibus profectum, ac mores, amanter explorent, cum ipsis de rebus utilibus & cognitione dignis placidè cōferant, hosque congressus nostros scholasticos eiusmodi officijs & studijs ornent, foveant ac tueantur. Simul etiam ea re ostendant, se fauere communibus literarum studijs,

ac honorificè de vitæ genere, in quo versamur
singuli, sentire. Id præterquam quod cedit in
honorem Academiae, cultus quoque est ipsi Deo
longè gratissimus. Nullum enim nobis dubium
est, quin hæc ipsa exercitia nostra, quæ de v-
tilissimis doctrinarum studijs instituuntur, ad
propagationem doctrinæ cœlestis maximè con-
ducant, ideóque Deo probentur. P. P. VII
Iduum Septemb. anno Christi 1587.

INVITATIO

AD ACTVM PROMO- TIONIS

 P Pio Claudio Scipionis in censura
Romanorum competitori, cum ia-
stantius diceret, Romanos à se o-
mnes nominatim salutari: Scipio-
nem, qui vniuersos penè ignoraret,
diciturâsse ferunt: Vera quidem narras: ἐμοὶ γὰρ
οὐκ εἰδέναι πολλοὺς, ἀλλ' ὑπὸ μηδενὸς ἀγνοεῖσθαι
μεμέληκεν, id est, curæ mihi fuit non quidem
nouisse multos, sed ne à quocquam ignorarer.
Præstant verò hoc virtutum exhausta certami-
na, præstant hoc sudores multi, euigilatae no-
ctes, laborumque difficiliorum tolerantia.

Quàm multi vel ex ipsis quoque Im-
peratoribus, istiusmodi virtutum certaminibus,
& studio assiduo, nominis celebritatē sibi con-
ciliarint, ex historijs notum est. De Imperatore

Adriano refertur, ipsum tanto flagrâsse amore studiorum, vt celeberrimos quosque artifices, quòd æquare non posset, subvertere voluerit, & in quavis disciplina præcellere omnes mirè affectârit. Id Adrianum molientem cùm Florus, Poëta mollior, sensisset, ita versibus lusit:

*Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.*

Illi respondit Adrianus facetè admodum, nec tamen citra animi commotionem, notata hominis effœminata fœditate:

*Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Culices pati rotundos.*

Vtinam verò hoc exulceratissimo hominum seculo, & delira Mundi senectâ plures essent, qui hoc Scipionis & Adriani exemplum imitarentur. Hoc enim modo multò magis florent studia, & Ecclesijs ac Rebus publicis rectius consuleretur. Verùm quid fiat, res ipsa loquitur, et ij, qui in publicis constituti muneribus, studiorum administrant gubernationem, ingenti cùm animi dolore quotidie experiuntur.

Olim consueuerant reges Philosophiam, illasq; artes discere, quibus liberales disciplinae continentur, Platone autore lib. 5. πολιτικῶν: non solum vt tantò magis idonei essent, qui Imperijs præficerentur: verùm etiam vt alijs gentibus innotescerent, & immortalem nominis famam

nestis & eruditis, quorum nomina infra scripta
sunt, summum in Philosophia gradum, & ho-
norem Magistrij, proximo die Martis, in Au-
ditorio Collegij noui (quod felix & faustum
sit) decernemus. Cumq; sapienti & bono con-
silio à maioribus nostris constitutum sit, vt in
solenni congressu publico, eiusmodi testimoni-
orum renunciatio fiat: hortamur, & amanter
rogamus omnium Facultatum Doctores, Ma-
gistros, omnesq; alios, qui studiorum causa in
Academia nobiscum viuunt, vt dicto loco et die,
hora 8 matutina, vsitato more, conueniant: eoq;
officio non solum studia doctrinarum, & Candi-
datos nostros (quorum est spectata industria &
probata virtus, quorumq; aliqui in publicis iam
versantur muneribus mediocri laude & diligen-
tia) ornent: verum insuper, vt fieri in talibus
congressibus maxime decet, veris gemitibus ac
votis nobiscum Saluatori nostro commendent
Ecclesiam, & toto pectore orent, vt perpetuo
sibi inter nos voce Euangelij hæreditatem col-
ligat, conseruet puritatem doctrinæ cælestis, &
artium, linguarumq; studia, & hos Candidatos
nostros vasa misericordiæ & organa salutaria
sibi & alijs, propter diuini Nominis sui gloriam,
& Ecclesiæ ac Reipublicæ vtilitatem faciat. P. P.
4 Idium Septembris, anno Christi 1587.



Ce 2403

X 2203079 TA 00L

m. c.





ORATIO
DE STUDIIS
PHYSICIS, EO

RVMQVE VSV IN DO
ctrina Ecclesiae.

Recitata à

DECANO COLLEGII
PHILOSOPHICI M. SIMONE
GRONENBERGIO, Freienvaldensi
Pomerano, cum prid. Iduum Septemb.
anno 1587, septem & triginta honesti
& docti viri, Magistri Philosophiae & ar
tium liberalium, in Academia VVi
tebergensi, solenni & publi
co ritu renunciarentur.



WITEBERGAE.

M. D. LXXXVIII,

